

ANNALES

ACADEMIÆ LEODIENSIS.

ANNALES

ACADEMIÆ LEODIENSIS

A. MDCCCXVII. — MDCCCXVIII.

DEODATO SAUVEUR,

RECTORE MAGNIFICO

JOH.-MICH. VANDERHEYDEN

ACTUARIO.



LEODII,

APUD P.-J. COLLARDIN, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUM.

MDCCCXIX.

GUILIELMO I.

REGI OPTIMO,

ACADEMIÆ LEODIENSIS

FUNDATORI

ET

PROTECTORI

MUNIFICENTISSIMO

DED. SEN. ACAD.

INDEX

EORUM, QUÆ HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

Roma, Elegia A. G. Schlegel e germanica in latinam linguam translata a J. D. Fuss, Prof. Ord.

L. Rouillé, Prof. Ord., Oratio inauguralis de historiâ literaturæ gallicæ.

L. A. Warnkœnig, Prof. Ord., Oratio inauguralis de studii Juris Romani utilitate et necessitate.

P. J. Destriveaux, Prof. Ord., Oratio inauguralis de processu civili et Jure pœnali hodierno.

D. Sauveur, Rect. Magn., Oratio publicè habita cum Academiæ regundæ munus solenniter deponeret.



INSTITUTIO

UNIVERSITATIS LEODIENSIS.

UNIVERSITAS literaria, quæ Leodii est, decreto REGIS AUGUSTISSIMI GUILIELMI I. die 25°. Septembris an. 1816 (N°. 65) creata, anno demùm sequente, omnibus ad eam rem paratis, diversarumque facultatum professoribus plurimam partem nominatis, iustituta est, solenniter inaugurata die 25°. Septembris ab excellentissimo viro REPELAER VAN DRIEL, cui tùm temporis summa publicæ quam vocamus institutionis in regno Belgico cura mandata erat.

Solennissima hæc et æternâ posterorum memoriâ digna inauguratio qualis fuerit, breviter enarrare operæ pretium est. Universitati recenter creatæ a civitate Leodiensi donatum erat ingens ædificium, quod a patribus societatis Jesu olim exstructum, et publicarum scho-

larum usui semper consecratum, spatiosa omnibus facultatibus auditoria, omnesque Academiæ exoptandas habet commoditates.

In templo, nunc majoribus Universitatis solennitatibus dicato, res celebrabatur; in choro posito throno cum Augustissimi regis effigie, ante quem sedes eminentior viro Excellentissimo, regiæ Majestatis nomine Universitatem inauguraturo. Consederant a dextris perillustres novæ Universitatis curatores, præside nobilissimo Provinciæ Leodiensis gubernatore, quos excipiebant majores provinciæ et civitatis magistratus tàm civiles quàm militares; a sinistris Academiæ Rector magnificus, cæterique clarissimi viri, ad docendi munus in ea obeundum vocati. Reliquum templi spatium implebat hominum omnis ordinis, ætatis, sexûs et conditionis multitudo. Præludebat interim solenni pompæ plenissimus musicorum chorus, qui dulci omnis generis instrumentorum concentu præsentium aures mulcebat. Vir excellentissimus Repelaer van Driel, in limine templi a curatoribus et Academiæ Rectore exceptus, in suggestum ascendit, ex illoque lectissimâ coram audientium coronâ luculentam habuit orationem, quâ Regis Augustissimi in Universitate pro literis et artibus liberalibus propagandis instituenda consilium et singularem ejus erga has regiones benignitatem disertissime exposuit, novæque Universitati perpetuam ejus benevolentiam adfirmavit. Quâ oratione (quam hisce Annalibus inserendam rogantibus nobis concessam non esse vehementer dolemus) dictâ, *Universitatem Leodiensem institutam* altâ voce proclamavit. Virum Excellentissimum dicentem universa cohors summâ voluptate audivit ac maximo cum applausu excepit. Post illum dein locuti sunt illustrissimus Curatorum Præses, et Magnificus Academiæ Rector; uterque civitatis et professorum gratissimum pro Regis ergà nos mu-

nificentiâ animum digne interpretatus est. Quibus peractis ill. Curatorum Præses Rectorem magnificum singulosque ordine professores ad juramentum admisit, ex formula art. 186 et 187 decreti regii recitatum.

Singula orationum intervalla musico exhilarata choro, qui et finem solennitati imposuit. Totius autem diei festivitatem splendidissimum lautissimumque Regii legati jussu paratum terminavit convivium, in quo frequentibus libationibus GUILIELMO I. et Augustissimæ dilectissimi principis domui salutem, Universitati Leodiensi prosperitatem et lætissima quæque apprecati sunt illustres convivæ.

Postridiè primus habitus est Senatus amplissimus ab Universitatis curatoribus et professoribus ordinariis compositus; in quo Rectoris Magnifici assessores et Academici Senatûs actuarius in primum annum Academicum legitime lecti, singulisque professoribus docendi provinciæ ordine in programmate lectionum exposito assignatæ.

Cum verò Decreto Regis die 19. Augusti dato statuta esset dies tertia Novembris, quâ lectiones Academicæ inchoandæ, illo temporis intervallo auditoria Academica pro singulis facultatibus aptè disposita sunt; lectionum in quavis facultate habendarum programma typis excusum, vulgatumque per diversas provincias; dies scholarum aperiundarum indictus juvenesque, qui civium Academicorum numero adscribi vellent, ut nomina sua darent, publicè invitati. Expectatione major undique frequentia affluxit : unde factum, ut cum statuto tempore lectiones inchoarentur, in omnibus scholis magnus

2.

adesset auditorum numerus. Veterem morem in omnibus Academiis receptum plures ex professoribus ultrò secuti, lectiones suas auspicaturi Orationes inangurales habuerunt, quas hisce annalibus insertas suo quamque loco legere est.

Talia fuere Universitatis Leodiensis primordia; quæ autem cætera primo anno in ea gesta sunt, ex Oratione a Rectore Magn., cùm magistratum solenniter deponeret, habitâ cognoscuntur.

NOMINA

CURATORUM ET PROFESSORUM

ACADEMIÆ LEODIENSIS.

CURATORES academiæ secundùm *institutionis superioris normam* decreto regio instituti sunt quinque amplissimi atque illustrissimi viri :

ALEXANDER COMES DE LIEDEKERKE, ordinis Leonis Belgici Eques, provinciæ Leodiensis Gubernator, curatorum collegii præses;

CAROLUS-HENRICUS BARO DE BROICH, ab ordine Equestri Prov. Leod.;

HILARIO BARO DE VILLENFAGNE DE INGIHOUL, a comitiis Prov. Leod., regii Instituti Belgici socius;

DIONYSIUS DE MELOTTE DE ENVOZ, ordinis Leonis Belgici Eques, urbis Leodii consulum princeps;

FREDFRICUS ROUVEROY, a comitiis Prov. Leod.

Collegii curatorum Secretarius, idemque academiæ inspector J. WALTER, a comitiis Prov. Namurc.

PROFESSORES hoc anno docendi munere functi :

IN ORDINE MEDICORUM.

DEODATUS SAUVEUR, Academiæ hoc anno rector;

Nicolaus Ansiaux;
Joannes-Nicolaus Comhaire;

IN ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM:

Joannes-Michael Van der Heyden, senatûs academici hoc anno actuarius;
Carolus Delvaux;

IN ORDINE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITERARUM HUMANIORUM:

Franciscus Gall;
Joannes-Dominicus Fuss;
Ignatius Denzinger;
Ludovicus Rouillé;
Johannes Kinker;

IN ORDINE JURISCONSULTORUM:

Joannes-Gerhardus-Josephus Ernst;
Leopoldus-Augustus Warnkoenig;
Petrus-Josephus Destriveaux.

SERIES LECTIONUM

IN ACADEMIA LEODIENSI

A DIE III. NOVEMBRIS A. MDCCCXVII.

HABENDARUM,

RECTORE MAGNIFICO

D. SAUVEUR.

IN FACULTATE MEDICA.

D. SAUVEUR, mensibus hyemalibus *Pathologiam generalem et specialem* docebit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, hora XI. *Institutioni clinicæ internæ* vacabit in Nosocomio civili diebus Martis, Jovis et Saturni, hor. matut. VII IX.

Mensibus æstivis, *Nosologiam* et *Theurapenticen* exponet diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, h. XII; *mulierum et infantum morbos* tractabit diebus Martis, Jovis et Saturni, h. XII.

J. N. COMHAIRE mensibus hyemalibus, *Anatomiam* et *Phisiologiam* alternatim, docebit, quotidie h. XII. Mensibus æstivis, *Pharmaciam* et *materiem medicam* exponet diebus Lunæ, Mercurii et Veneris h. XI; *institutioni cli-*

nicæ internæ vacabit in Nosocomio civili diebus Martis, Jovis et Saturni h. mat. VI–VIII.

N. Ansiaux per totum annum *institutioni clinicæ* externæ vacabit in Nosocomio civili diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, h. mat. VII–IX.

Mensibus hyemalibus *pathologiam chirurgiam et operationes* explicabit diebus Martis, Jovis et Saturni, h. XI; mensibus æstivis *artem obstetriciam*, et *morbos venereos* exponet, iisdem diebus et horis.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHISICARUM.

J. M Vanderheyden *Algebram arithmeticæ junctam*, *et geometriam* demonstrabit diebus Lunæ, Mercurii, Jovis et Saturni h. IX.

Geometriam analyticam et calculum differentialem et integralem docebit iisdem diebus h. X.

Astronomiam physicam et theoreticam exponet diebus Martis Jovis et Veneris h. XI.

C. Delvaux *physicam theoreticam* experimentis innixam docebit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, h. II. pomer. — *Chemiam generalem et applicatam* diebus Martis, Jovis et Saturni, h. II.

Mensibus æstivis *Metallurgiam* explicabit diebus Martis et Jovis, h. I.

Ob duas cathedras in hâc facultate vacantes, *Phisyca et Astronomia mathematicæ*, *Mineralogia*, *Historia naturalis plantarum et animalium*, *Anatomia comparata et œconomia ruralis* hoc anno non tradentur.

IN FACULTATE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITERARUM HUMANIORUM.

J. Denzinger, præmisso *Encyclopediæ philosophicæ et Anthropologiæ* pragmaticæ conspectu, *Logices* principia ad ductum compendii sui sub ti-

tulo : *Prima lineamenta logices*, *Leodii*, 1818, exponet diebus Martis, Jovis et Veneris, h. VIII.

Metaphysicas prælectiones habebit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, h. IX, singulari per hebdomadem die et horâ, pro auditorum opportunitate determinandis, colloquia et disputatoria logica et metaphysica additurus.

Philosophiæ moralis principia exponet diebus Martis et Jovis, h. III. pom.

Historiam philosophiæ docebit diebus Mercurii et Saturni, h. IX.

Historiam Universalem adjuncta geographia antiqua et media, tradet diebus Martis, Jovis et Veneris, h. X.

F. Gall interpretabitur *Homeri Iliada* diebus Martis et Jovis, h. IX; *Theocriti Idyllia* et *Euripidis Hecuben*, iisdem diebus, h. X.

Explicabit *Suetonii cæsares* diebus Mercurii et Veneris, h. IX; *Antiquitates græcas* iisdem diebus, h. X.

D. Fuss interpretabitur *Aristophanis nubes* et *Herodoti historiarum* libros septimum, octavum et nonum, diebus Martis, Jovis et Saturni, h. VIII.

Taciti annalium libros priores et *Horatii sermonum* libros duos, diebus Lunæ et Veneris, h. IX.

Antiquitates romanas tradet diebus Martis, Jovis et Saturni, h. X.

L. Rouillé *literaturam gallicam*, eloquentiam et poesin exponet diebus Lunæ, Martis et Mercurii, h. XII., et singulari per hebdomadem die *artis oratoriæ* exercitiis moderandis, cum res exegerit, vacabit.

Historiam provinciarum belgicarum tradet diebus Jovis, Veneris et Saturni, h. XII.

J. Kinker *literaturam hollandicam*, eloquentiam et poesin, docebit ter per hebdomadem, h. XI.

IN FACULTATE JURIDICA.

L. A. Warnkoenig *institutiones Juris Romani*, secundùm ordinem conspectùs a se compositi docebit diebus Martis, Mercurii et Jovis, h. X.

Pandectas juris Romani, adjuncto libro Ortw. Westenbergii : *Principia*

juris Romani secundùm ordinem Digestorum, Berolini 1815, II. vol. in-8°., explicabit diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis et Saturni, h. IX.

J. G. J. Ernst *jus civile* hodiernum interpretabitur diebus Mercurii, Jovis et Saturni, h. VIII.

Jus naturale et jus publicum Regni Belgici trade diebus Jovis et Veneris h. III. pom.

P. J. Destriveaux *jus criminale hodiernum* interpretabitur diebus Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni, h. IX.

Praxin juris civilis docebit diebus Lunæ et Martis, h. IX.

Ob cathedram in hac facultate vacantem, *Statistica*, *Diplomatica* et *Historia politica Europæ* hoc anno non tradentur.

QUÆSTIONES
IN UNIVERSITATE LEODIENSI

A

SINGULIS ORDINIBUS,

CUNCTIS

ACADEMIARUM BELGICARUM

CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO,

PROPOSITÆ

E DECRETO REGIS,

DIEI 25. SEPTEMBRIS, 1816, N°. 65,

(§§. 140–147.)

ORDO MEDICORUM HANC PROPONIT QUÆSTIONEM :

QUÆRITUR Peritonæi Structuræ usuumque quibus inservit, accurata descriptio; porrò morborum quibus hæc membrana afficitur, sive a causis internis, sive externis producantur, expositio : tandem optima eosdem morbos curandi ratio.

3.

ORDO SCIENTIARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM

POSTULAT :

I.

Ut calculi literalis seu algebraici theoria principiis e solâ arithmeticâ et signorum naturâ petitis, missâ quantitatum positivarum et negativarum seorsùm existentium absurda distinctione, superstruatur. Dein æquatio generalis cum primi, cum secundi gradûs resolvatur, discutiaturque ita, ut varia solutionum genera, puta negativarum, infinitarum, et cæt. eruantur, verus et genuinus earum sensus, ratioque iis in analysi utendi explicentur aptisque exemplis illustrentur.

II.

Exponantur quæ hoc ævo vigent Philosophorum opiniones circa naturam principii caloris; argumenta quibus eæ innituntur, in examen revocentur, perpendanturque ita, ut appareat, quænam hypothesis phænomenis explicandis aptior, cæteræque naturæ æconomiæ conformior æstimanda sit.

III.

Quum calor sæpè sine luce, lux nonnumquam sine calore sensibili sese manifestet; sæpissimè verò lux et calor se invicem comitentur, quæritur : utrum lucis et caloris duo admittenda sint principia distincta; an verò lux et calor velut unius ejusdemque fluidi modificationes diversæ sint habendæ.

ORDO PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITERARUM HUMANIORUM

SEQUENTES PROPONIT QUÆSTIONES :

I.

Quænam Logices et Metaphysices ad Grammaticum est relatio?

II.

Ad quem perfectionis gradum pervenerant literæ, scientiæ et artes liberales, ineunte sæculo octavo decimo, in Provinciis quæ nunc Regnum Belgicum constituunt?

III.

Adferantur argumenta quibus frequentior linguæ latinæ ad scribendum usus commendetur, simulque quibus ille finibus, habitâ præsentis literarum et scientiarum statûs ratione, circumscribendus sit, doceatur.

ORDO JURISCONSULTORUM :

Exponatur quænam sint jura liberorum illegitimorum jure Romano et jure hodierno.

Dissertationes latinâ tantùm oratione, manu alienâ, conscribendæ, ante diem I. mensis Augusti an. 1819, auctorum sumptibus, mittuntor ad Academiæ Leodiensis Actuarium : lemmate autem omnes inscribendæ, iisque jungendæ sunt literæ obsignatæ, Auctorum nomina continentes, eodemque superscripto lemmate insignitæ.

In Academiâ Leodiensi, Mense Maio, an. 1818.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM

IN ACADEMIA LEODIENSI

PUBLICÈ DEFENSARUM.

A. 1818.

D. 11. Martii. *Dissertatio de collatione bonorum*, defensa ab Alphonso Antonio Morel, Gandavensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

14. Maii. *Dissertatio de calvariæ fracturis*, defensa a Francisco Ludovico Kerckhoffs de Niwenhof, ex provinciâ Limburgensi, pro doctoratu Medicinæ.

15. Julii. *Dissertatio de Adoptionibus* secundùm jus Romanum et hodiernum, et *de Sceleris communione* jure criminali novissimo, defensa a Ludovico Andrea Janssens, Lovaniensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

Dissertatio *de Immutabili legum* naturalium existentiâ, etc. defensa a Francisco Vansnick, Athensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

18. Julii. *Dissertatio de Patria potestate*, defensa a Juliano Carolo van Bellinghen de Branteghem, Bruxellensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

Dissertio de successionum delatione atque hæredum saisinâ, etc. defensa a Ludovico Paulo Adolpho Thomeret, Montensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

20. Julii. *Dissertatio de revocandis donationibus*, etc. defensa ab Henrico Martino Doffegnies, Bruxellensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

Dissertatio de obligationibus Usufructuarii, defensa a Theodoro-Augustino-Josepho Petit, Wallocuriensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

21. Julii. *Dissertatio de liberis naturalibus et ex nefando coitu natis*, etc. defensa a Carolo-Adolpho Picquet, Montensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

24. Julii. *Dissertatio de Qualitatibus ad Succedendum requisitis*, etc. defensa a Ludovico Gilson, Athensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

25. Julii. *Dissertatio de hæredum institutionibus et Legatis*, defensa a Carolo-Antonio Didier, Bastoniensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

Dissertatio de Donationibus et Testamentis, defensa ab Eugenio-Hyacintho-Francisco-Josepho *Pollenus*, ex Kermpt, in provincia Limburgensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

27. Julii. *Dissertatio de fideicommissis* jure hodierno permissis, etc. defensa a Carolo-Theodoro de Beyer, Udensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

28. Julii. *Dissertatio de modis quibus testamenta revocantur vel infirmantur*, etc. defensa a Bernardo-Francisco-Peeters Gandavensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

Dissertatio de variis testamentorum solemnitatibus, etc. defensa a Justino-Livino Martens, Donsano, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

29. Julii. *Dissertatio de legitima et Reductione*, etc. defensa a Joanne-Petro-Josepho Barbanson, Bruxellensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

Dissertatio de Donationibus quæ per contractum matrimonii fiunt conjugibus eorumque posteris, etc. defensa a Mathæo-Leonardo Dereux, Leodiensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

30. Julii. *Dissertatio de Chlorosi*, defensa a Joanne-Jacobo-Josepho Crespin, Namurcensi, pro doctoratu medecinæ.

Dissertatio de rebus mobilibus, defensa a Petro-Josepho du Gauquier, ex Ecaussines in Hannoniâ, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

31. Julii. *Dissertatio de Natura juris quod galli vocant droit de réserve*, defensa ab Amando Coyon, Huensi.

Dissertatio de China China, defensa a Petro-Maximiliano-Josepho Gautier, Montensi, pro doctoratu medicinæ.

Dissertatio de Gangrena, defensa a Livino Janne ex Hex in provincia Limburgensi, pro doctoratu medicinæ.

Dissertatio de Donationibus inter Virum et Uxorem, defensa a Natali Raskinet, Leodiensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

Dissertatio de compensationibus, defensa a Ludovico-Petro Fendius, Luxemburgensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

Dissertatio de hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur, etc. defensa a Victore-Augusto-Josepho Walter, Namurcensi, pro doctoratu juris Romani et Hodierni.

GUILIELMO, REGUM OPTIMO,

CIVIUM PATRI,

PRINCIPI MUSIS DILECTO :

Quo die Universitas faustissimis auspiciis instituta.

JAM lætiori, BELGICA, Te decet
Gaudere fato, temporis æmulam,
Tuis vigebas quum beata
Principibus super omne regnum.

Præclara priscæ stirpis ARAUSIÆ
Propago terris aurea sæcula
Reducet, olim queis per omnes
Emicuit celebrata gentes

Virtus Avorum. Quis, taciturnitas
Cui nomen alti pectoris indidit,
Heroa quis nescit, potentis
Insidiisque minisque regis

Tutum Philippi, qui patriam malis
Defendit oppressam, anchora ceu ratem
Sævis procellis; quis tropæa
Mauritii juvenili ab ævo

Excelsa, sceptri quisve Britanniæ
Nescit Potitum, Francigenis gravem?—
Longas amavit nempe virtus
Ardua per series nitere.

Mortalis at non perpetuo fuit
Quisquam beatus; dulce sed asperas
Ridere jactato per undas
Oceani placidam quietem.

Vertente mundi se facie, truci
Fortuna vultu Te quoque, sedibus,
WILHELME, depulsum ex avitis,
Per dubios agitare rerum

Casus coegit. Nunc populi Tui
Votis reversum celsius extulit
Mutata sors, dignaque regem
Ferre dedit diadema fronte.

Rursusque jungens, quos furor impius
Divisit olim, sic veteres beas
   Novosque cives, temperatam
      Egregie docilis tueri

Curis paternis imperii viam;
Nec servitutem dum sapiens amas,
   Nec nuda majestate sceptra;
      Carus uti videare, et idem

Cunctis verendus. Quippe Tuo Ceres
Hermesque dulci sub moderamine
   Gaudent, aventque altis amœnam
      Divitiis cumulare terram.

Gaudet ruina relligio gravi
Tandem resurgens, et pietas patrum
   Castique mores. O Minervæ
      Ante alios venerande reges

Musisque fautor! splendida pandere
Queis templa mandas, scilicet æneis
   Felicitatis gloriæque
      Tecta super statuens columnis.

Priscum, en, refulget Lovanii decus,
Binæque, BELGIS astra velut nova,
Surgunt Sorores : en, Camœnae
Auspiciis rediere lætis,

Tuo potentes præsidio, Tuum
Sceptrum colentes. Numine sub Tuo
Quæ litterarum mox micabunt
Lumina, quanta volabit omnes

Per fama terras! Inclyta quæ novis
Decora sacris BELGICA, quæ Tuo
Florere mox regno videbit
Nomina! Non Tibi jam Britanni,

WILHELME, palmam, Gallia non neget,
Insigne magnis nec Latium viris,
Non ipsa jam Germana tellus,
Pieridum generosa cultrix.

DISCOURS PRONONCÉ

PAR

D. SAUVEUR, Docteur en Médecine,

RECTEUR MAGNIFIQUE DE L'UNIVERSITÉ DE LIÉGE,

En présence de M. le Commissaire-Général de l'Instruction, des Sciences et des Arts, et des Autorités civiles et militaires de la Province et de la Ville de Liége, réunies pour la cérémonie de l'installation de l'Université,

Le 25 Septembre 1817.

Monsieur le Commissaire-Général,

Messieurs,

Si je porte mes regards sur cette assemblée respectable, j'y vois réunies sous les auspices d'un Monarque révéré, et sous la présidence d'un digne dépositaire de sa confiance, les personnes les plus éminentes et les plus distinguées dans la magistrature, dans l'armée, dans les sciences, dans les lettres et dans les arts.

Si j'arrête ma pensée sur l'objet qui nous rassemble et dont viennent de nous parler avec tant d'intérêt, son Excellence le Ministre de l'instruction publique et Mr. le Gouverneur de cette province dont la magistrature semble être devenue doublement paternelle, par les récentes attributions si justement confiées à ses lumières, j'éprouve la délicieuse émotion que fait naître l'aspect d'une fête de famille, et c'est avec un charme inexprimable que je m'abandonne à tous les sentimens qui pressent et agitent chacun de nous.

Mais lorsque je songe, qu'appelé par un choix aussi flatteur qu'inattendu à une dignité nouvelle autant qu'honorable, premier organe de l'Université de Liége, je dois être, dans cet instant, l'interprète de ses pensées reconnaissantes et du juste espoir de la patrie, je ne puis me défendre d'un trouble involon-

taire ; je crains de ne pouvoir fidèlement exprimer ce que mon âme sent trop vivement.

Parmi les personnes qui m'entendent, mes regards intimidés aperçoivent des maîtres justement renommés dans l'art de parler et d'écrire ; l'éloquence est leur partage et je n'ai que du zèle. Pour eux, traiter un sujet, c'est toujours l'embellir. Voué aux travaux austères et utiles de la science que je professe, je sens, Messieurs, que j'ai besoin de toute votre indulgence ; je ne l'invoque pas sans quelque espoir.

Saisir, autant que de rapides momens ont pu me le permettre, quelques-uns des principaux traits du réglement par lequel le Monarque accorde une Université à la ville de Liége, tel est le champ d'idées que je me propose de parcourir, pour célébrer une institution, que nos vœux appelaient, que notre reconnaissance accueille, que nos espérances accompagnent. L'imperfection de cet hommage ne dérobera du moins rien à sa sincérité.

Si je dis que la ville de Liége n'était pas sans quelque titre à la faveur qui lui est accordée, il est loin de ma pensée de croire que cette faveur en puisse être moins sentie et moins appréciée. Plus elle est juste, plus elle porte l'empreinte d'une bonté vraiment royale.

Dédommager de ses pertes une cité intéressante ; créer dans son sein un grand établissement public de l'espèce de ceux qui formaient autrefois une principale branche des revenus de plusieurs états de l'Allemagne ; donner par-là une plus grande valeur aux produits naturels et industriels de ce pays ; rendre l'instruction, même des degrés supérieurs, plus accessible à ceux qui l'habitent ; ne pas laisser se perdre dans la foule les sujets que la nature a doués des plus heureuses dispositions et que la fortune n'a point dotés de ses avantages ; telles ont été, sans doute, Messieurs, les sages pensées du Monarque. Jamais les sciences et les lettres n'ont été étrangères dans la ville de Liége. De tout temps, elles y ont

été, ainsi que les beaux arts, cultivées avec succès; les études des langues anciennes y étaient en honneur, des établissemens intéressans d'instruction publique y florissaient; mais nul lien ne les rapprochait, nul plan ne les coordondait entr'eux.

Une Université peu éloignée avait formé à l'émulation liégeoise une sorte de foyer excentrique. Les grands événemens politiques, survenus à la fin du siècle dernier, avaient changé la face des choses; ils nous avaient réunis à un autre peuple; deux systèmes furent alors successivement essayés. Dans le premier, les élémens étaient bons, mais l'organisation était faible; dans le second, les élémens étaient excellens, mais l'organisation était, peut-être, trop forte. Une Université unique dans un grand état, n'a point de terme de comparaison, à moins qu'elle n'aille le chercher chez l'étranger; elle n'a, par conséquent, ni motifs directs, ni moyens immédiats d'émulation.

Les Universités sont des corporations scientifiques et littéraires, qui, comme les corps physiques, doivent avoir leurs proportions naturelles, ainsi que leurs sphères d'activité. Trop multipliées, trop disséminées, elles ne seraient qu'une sorte d'aurore boréale. Réduites et formées en nombre convenable, elles répandent la chaleur vivifiante de l'émulation, elles dispensent la lumière, comme l'astre du jour. Cette sage pensée a, sans doute, présidé à la création des trois Universités, et assuré à la ville de Liége l'inappréciable avantage d'en posséder une. Si notre ville a su profiter de divers établissemens antérieurs plus ou moins imparfaits, on pouvait croire qu'elle saurait correspondre à une faveur plus complète, et s'en montrer digne sous tous les rapports. Ses titres ont été accueillis.

S'il est un bienfait capable de produire une vive et durable impression, c'est celui qui fait éclore tout ce qui est bon, utile et libéral, et encourage tout ce qui est héroïque ou sublime; c'est celui qui, ouvrant les sources de l'instruction, intéresse toutes les familles, s'adresse aux affections les plus chères, embellit les jouissances actuelles par les perspectives de l'avenir, développe

tous les talens, fait fructifier toutes les vertus et forme à la fois l'homme et le citoyen; c'est celui, qui, promettant de ne rien laisser d'inculte dans la nature physique et dans la nature morale, répand dans la société cette masse de lumières qui perfectionne tous les arts, facilite les progrès de tous les genres d'industrie, et assure, à chaque pays, des moyens de prospérité et d'indépendance.

L'importance d'un tel bienfait, dont cette cité a le bonheur d'être plus particulièrement l'objet, peut donner la mesure de sa profonde et vive reconnaissance. Puisque nos vœux ont été si utilement mis sous les yeux du Monarque par le Ministre éclairé qui préside cette auguste assemblée, ne serai-je pas votre interprète, Messieurs, si je le prie, tant en votre nom, qu'au nôm de tous les pères de famille, de porter jusqu'au trône la respectueuse expression de notre éternelle gratitude?

Ce sentiment pourrait-il, en effet, connaître une limite dans sa durée, lorsque l'institution qui le fait naître, ne peut que s'affermir et se consolider avec le temps? Chaque jour, n'en doutons pas, en fera mieux connaître les avantages; c'est par son application journalière qu'elle sera mieux jugée; les objets extérieurs ont besoin de la lumière pour être aperçus, mais la lumière n'a besoin que d'elle-même. Aux progrès de l'esprit humain dans nos belles contrées, correspondra une progression d'émulation; nul ne voudra rester en arrière de l'impulsion générale. L'Université de Liége ne sera sûrement pas la moins empressée à porter son tribut à la masse des connaissances humaines, ce trésor qui est la légitime propriété de tous, et où chacun a le droit de puiser dès qu'il en a la volonté.

Les provinces méridionales rivaliseront de zèle et d'efforts avec les provinces septentrionales pour étendre et assurer les paisibles conquêtes de la raison et de la vérité. Les lumières seront aussi le gage heureux et le lien brillant de leur union. Riches les unes et les autres de souvenirs littéraires et de grandes renommées scientifiques, elles mettront en commun leur instruction et leur gloire, enrichiront le présent de tout ce qu'il y a d'avéré et d'utile dans le passé et

transmettront elles-mêmes à la postérité un héritage de science accru par leurs nombreux et patriotiques travaux.

Si telles sont, Messieurs, les conséquences naturelles, si tels sont les fruits assurés de l'institution des nouveaux corps académiques érigés par la décision royale, comment pourrait-on voir, d'un œil indifférent, des établissemens qui se recommandent par une aussi éminente utilité? Comment pourrait-on refuser d'accueillir des espérances qui s'unissent à des devoirs, ajourner tant d'avantages qui sont des obligations? N'est-il pas plus naturel, plus juste, plus indispensable, de s'empresser de les réaliser? Je me plais à voir, à reconnaître un décret de la providence dans celui du Monarque qui doit opérer tant de bien et assurer l'instruction de la génération présente et des générations futures. Je me plais à célébrer la sollicitude éclairée et paternelle avec laquelle a été médité l'acte qui nous institue; comme si le Monarque avait voulu, par-là, proclamer de nouveau son invariable désir de ne régner que par les lumières et en faire une obligation sacrée à ses successeurs; engagement vraiment royal et constitutionnel qui respire dans l'ensemble du réglement organique à l'exécution duquel nous sommes immédiatement appelés à concourir sous l'œil et l'encourageante égide de Messieurs les curateurs.

Le désir ardent de correspondre à des vues aussi pures, aussi bienfaisantes, nous impose, en cet instant solennel, l'obligation d'un engagement analogue dont l'affection, la reconnaissance et le respect nous rendront l'accomplissement aussi agréable que facile.

NICOLAI ANSIAUX

ORATIO

DE

CHIRURGIÆ STUDIO EJUSQUE DIGNITATE ET GRAVITATE,

Habita Leodii die 4[to]. Novembris MDCCCXVII.

CUM LECTIONES SUAS DE PATHOLOGIA CHIRURGICA IN UNIVERSITATE LEODIENSI SOLEMNITER APERIRET.

Homines ad deos nullâ re propiùs accedunt, quàm salutem hominibus dando.

CICERO, *Orat. pro Marcello.*

HONORATISSIMI AUDITORES, ARTIS CHIRURGICÆ STUDIOSI!

SCIENTIÆ chirurgicæ præcepta Vobis traditurus in hisce lectionibus, ad quas inaugurandas hodiè convenimus, utilissimum esse puto, antè omnia, quædam de origine atque progressu disciplinarum, quæ ad hanc gravissimam artem spectant, Vobis enarrare, ut jàm nunc studii vestri rationem et dignitatem cognoscere, et vestra in eo indagando officia rectè metiri valeatis.

Chirurgia ex eo naturæ humanæ stimulo originem ducit, qui hominem ad sese ipsum incolumem servandum pellit, eique curam perpetuam sui corporis imbuit. Undè mirum non est illam antiquissimis, quos novimus, populis jàm cognitam et apud omnes gentes disciplinas illius pro utilissimis habitas et perpetuò excultas esse. GRÆCI et ROMANI, ARABES deindè illam artem ad magnum culturæ fastigium jàm duxerant, et in innumeris libris talia de eâ præcepta relinquerunt, quæ subtilissima ac verissima nec non saluberrima et hodiè admiramur. HIPPOCRATIS summo ingenio et immortalibus scriptis hanc medicinæ partem plurima debere, quis nescit? « Hæc autem pars, CELSUS ait, cùm sit vetustis« sima, magis tamen ab illo parente omnis medicinæ Hippocrate quàm à priori« bus exculta est ».

1.

Sicuti apud hos populos, ità et apud alios posteà chirurgiæ studium, cum medicinâ arctissimè junctum excolebatur, virorum apud suprà memoratos populos celeberrimorum auctoritas ejus magistra, eorum libri illius fontes. Sensim deindè crescere et posteà latissimè tractari cœpta est medicina, ut jàm unius scientiæ plures inter se diversæ disciplinæ separari et propriis nominibus appellari deberent, neque unius hominis ingenium ac eruditio immensam artem amplecti possent. Ubiquè *Chirurgia* seu *externa* ab *internâ* uti vocatur, *Medicinâ* distincta.

Utraque pari studio diligebatur, par sorori nobilitas iidemque honores; sæculo demùm duodecimo chirurgiæ dignitatem minui ac detrahi cernimus. Idque non mirum! nàm cùm soli *Ecclesiastici* medicinæ scientiam profiterentur, *Concilium turonense* iis interdixit quascunque sanguinolentas in corpore humano operationes, eâ certè ridiculâ ratione, *ecclesiam sanguine abhorrere!* ac si, qui ad ipsum hominem conservandum ejus sanguinem effundit, hoc anathemate excipi non deberet!

Pòst hanc quasi proscriptionem chirurgia neglecta, laïcis hominibus ineruditissimis tradita, è disciplinarum numero ejecta, ex Universitatibus expulsa, ex ingenuâ quæstuaria ac mechanica ars facta est, undè evenit, ut et pro sordidâ haberetur, et contemta jaceret, quippè quæ ab infimis hominibus tantùm exerceretur.

Quamvis tamen hæc hujus disciplinæ tristissima fata regnarent, nullo tamen pacto fieri potuit, ut ejus templum ab Hippocrate, Celso, Galeno, Paulo Ægineta et albucasi exstructum et exornatum in æternum à barbaris gentibus clausum teneretur. Viri quidam fuêre, summâ laude in perpetuum celebrandi, qui deperditam ferè scientiam conservarent et absconditè colerent, ut aliquandò pristinam dignitatem ac splendorem recuperare posset. Joannes pitard hoc sibi meritum inter ceteros acquisivit, totius vitæ suæ curriculum chirurgicæ artis studio quasi immolans. Primus hic parisiensibus chirurgis artis regulas tradidit, studium ejus ùt singularis disciplinæ ordinavit, illosque examinatos *in acade-*

micum ferè corpus consociavit. Ad annum 1315 hic vir, diversis scientiæ disciplinis celeberrimus, mortuus est summis dignitatibus et honoribus ornatus, ab omnibus sui temporis eruditis desideratus.

Hoc viro autem ac duce magnanimo privata MEDICINA EXTERNA mox decrescere iterùm cœpit, et à nullo educata denuò ferè extincta est, donec LEVAVASSEUR Francisci I chirurgus magnum splendorem ei peritiâ suâ restitueret, sed nec pòst hunc virum dignitatem suam restitutam conservare potuit, iterumque omni honore privata in oblivionem quasi abiit.

Sæculo demùm superiori anno 1735 celeberrima illa societas, REGIÆ ACADEMIÆ nomine ornata, in Galliâ creata est, cui novam quasi originem restaurata chirurgia et summam usquè ad nostra tempora debet gloriam. Hujus societatis immortalia scripta meritò excellentissimis magnitudinem ingenii humani testantibus monumentis adnumerantur.

Jàm deindè chirurgia longæ servitutis vincula fregit, et ingenuam dignitatem recipiens, denuò in ceterarum liberalium artium ac disciplinarum numerum relata est, tanquàm altera medicinæ pars primaria. In Galliâ autem ad mirum culturæ fastigium ea elata et hodiè justis honoribus fulget. In Galliâ nostris jàm diebus summi ingenii viri, apud omnes populos celeberrimi indefesso studio ei sese dedicant, eodem tempore ejus gravitatem ostendentes et nobilitatem suam illi vindicantes.

Sed quamvis hæc in Galliâ fiant, et utilissima ars tanti æstimetur, nihilominùs apud quasdam ejus vicinas gentes vilem ejus esse conditionem videmus. Vix credibile est, in regionibus, gallicis antè legibus gubernatis, in quibus chirurgi primi ordinis inveniuntur, nihilominùs medicinam externam ejus ferè esse conditionis, cujus sæculo decimo sexto fuit; vix credibile, fugatâ veteris temporis ignorantiâ, restitutâ chirurgiæ dignitate, esse homunculos, qui non erubescant hanc artem tanquàm sordidam et quæstuariam ad operarios veluti ad solos

tonsores spectantem, et ingenuis viris indignam dicentes! Sed proh dolor! Tali modo tractatam hanc nobilissimam artem per meridionales regni nostri provincias videmus, exceptâ solâ leodiensi provinciâ.

Quanto ergo nobis gratulari licet, Honoratissimi auditores, felicissimis hisce auspiciis, sub hoc novo regimine, artium liberalium et omnium disciplinarum fautore, hanc rerum miseriem mox mutatam iri, ac chirurgiæ et in hisce regionibus pristinam nobilitatem restitui! certè mox videbimus in Albini, Vesalii, Spigelii, Ruischii, Rawii, Camperi patriâ chirurgicam artem colentes debitis honoribus pari modo, ut apud Gallos fruituros esse.

Et in hâc quidem re Honoratissimi Auditores, qui medicinæ studio operam daturi estis, à Vobis plurima et sperare et flagitare patriæ nostræ licet! Liberalissimè omne publicæ instructionis genus ordinatum est, et via Vobis aperta, quâ ad profundam eruditionem et in omnibus doctrinis peritiam pervenire poteritis. Ex eâ, quam Vobis, lineis tantùm nonnullis adumbravi, chirurgiæ historiâ perceperitis, illis tantummodò temporibus hanc saluberrimam artem dignitate suâ destitutam fuisse, quibus ignoranti barbarorum hominum turbæ tradita erat; cum florentissima ejus esset conditio, si ab eruditis et doctis viris exerceretur. Si igitur in nostræ Universitatis statutis longa et gravissima omnis generis studia hujus artis cultoribus præcepta sint, ne hanc studiorum necessitatem tanquàm inutilem et onerosam damnetis, sed vobismet ipsis gratulemini, Vos finito curriculo tales evasuros esse, qui omnibus facultatibus præditi eritis, hanc artem eruditè exercendi ejusque dignitatem conservandi.

Studium linguæ græcæ et latinæ, (recentissimo tempore demùm tantoperè neglectum!) quibusdam modò ineruditis hominibus inutile videri poterat; magis magisque in dies qui vestrûm has linguas excoluêre sibi gratulabuntur, et dolebunt, qui temporum nostrorum angustiâ et perversâ studii instituendi methodo impediti, non eam illarum, quâ opus est, scientiam acquirere sibi poterant. Verissimum est quod recentiorum doctissimorum medicorum aliquis dicit:

« Me juventutis medicinæ studentis amiciorem prodeo, ut illam linguæ latinæ » cultorem non habeam. Jàm diu dictum est : latinitas est lingua doctorum : « quarè à scholis nostris nunc exulat? Quarè in prælectionibus academicis illam « negligunt professores nostri? Hic juvenum ignorantiam non reprehendo; ins- « tituti medici tantùm imperfectionem accuso. » (1)

Nemo posthàc medicorum eruditionem pari modo accusabit. Perfectior erit et liberalior eorum scientia. Ii tantùm ad studia hujus artis admittentur, qui in philosophiâ et humanioribus litteris benè versati et mathematicis ac physicis disciplinis cum fructu operam dederunt. Illud adeò Regis Edictum jubet, neminem artem chirurgicam exercere posse, nisi qui ad medicinæ doctoris gradum promotus sit. Saluberrima legis dispositio, quâ illis tantum ad difficillima sac periculosas sæpè in corpore humano operationes tentare permittitur, qui omni scientiâ præditi sunt, de ejusmodi operationum necessitate, et effectibus rectè judicandi. Absurdum sanè est, quod vulgo dicunt, chirurgum non nisi ad operationem exsequendam veluti ad amputationem faciendam appellari et appellandum esse. Majora certè merita illius sunt, qui prudenter et feliciter à tali summis sæpè pro misero ægrotante cum doloribus conjunctâ operatione eum liberaverit, ubi necessitatem id non omninò flagitare benè eruditus cognoverit!

« Oui, ait celeberrimus Percy, l'érudition est nécessaire aux chirurgiens, « et ceux du premier ordre ne se sont illustrés qu'en la cultivant avec soin et « persévérance. A la vérité, on a vu des chirurgiens parvenir, sans son secours, « à la plus haute célébrité, et immortaliser leur nom dans la carrière. Mais, « osons le dire; ceux-là n'étaient pas allés plus loin que l'art, ils étaient restés « dans la deuxième enceinte du temple. On les a, à juste titre, appelés d'ha- « biles chirurgiens, mais ils ne furent jamais de savans chirurgiens ..... com- « bien une érudition, même ordinaire, n'eût-elle pas épargné de travaux, de « tâtonnemens et de mortifications au célèbre J.-L. Petit, l'honneur et la

(1) Léveillé.

» lumière de l'école française!..... Si Petit avait, vingt ans plutôt, appris « la langue latine, qu'à l'âge de quarante, et à l'occasion des querelles qu'on « lui suscitait, il eut le courage d'étudier, s'il eût été moins étranger à la « littérature qui nous concerne, quels services plus grands et plus importans « encore n'aurait-il pas rendus à la chirurgie! »

Si eos adeò eruditione ac instructione ornari oportet, quos naturæ favor magnis ingenii dotibus beans, suprà ceteros homines collocavit, ut genti humanæ sese utiles reddant; quantò magis omnibus aliis, qui tali naturæ dono non gaudent, summâ industriâ indefessoque studio opus erit! Quare, Honoratissimi Auditores, Vos humanissimè rogo atque hortor ut medicinæ disciplinas adituri, jàm nunc omni operâ iis studiis et doctrinis incumbatis, sinè quibus illas tractare Vobis impossibile erit!

Quod autem nos attinet, quorum est, studia vestra dirigere et artium institutiones vobis tradere, officium summis difficultatibus laborans, vos omnia à nobis petere et jure postulare fas est adjumenta, quibus opus est ut viâ tàm arduâ feliciter procedere valeatis. Paratissimos semper nos invenietis vobis omni industriâ et scientiâ nostrâ subveniendo. Illud enim munerum nostrorum jucundissimum erit, ut totius patriæ votis respondeamus Vos ducendo, instruendo et tales reddendo, qui aliquando universæ patriæ prosperitatem et civium salutem conservare, augere et in perpetuum colere eruditione vestrâ apud nos acquisitâ valeatis.

DIXI.

ORATIO INAUGURALIS

DE ANATOMIA

QUAM LECTIONES AUSPICATURUS HABUIT,

J.-N. COMHAIRE,

IN UNIVERSITATE LEODIENSI PROFESSOR ORDINARIUS

Die III Novembris, anno MDCCCXVII.


[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



DE ANATOMIA

DEQUE NEXIBUS INTER EAM ET PLURES SCIENTIAS INTERCEDENTIBUS ORATIO.

LECTIONES de anatomiâ hodiè auspicaturus, necessitate quodammodo ducor ad rationes quasdam philosophicas adferendum, quibus ad religiosum hujus scientiæ cultum auditores mei invitentur; quippe nudum anatomiæ nomen rudium medicæ artis aut leviter imbutorum oculis non nisi fastidiosam speciem offert, nos autem eandem tanquam sanctissimum anthropographiæ adytum intuemur, spinis quidem conspersum, sed humano generi utilissimum.

Quod mihi in votis est, ut rei medicæ studiosos anatomiæ studio quam deditissimos experiar, sæculum, quo vivimus, summorumque virorum auctoritas vehementer non tam suadent quam imperant; quorum sententia judiciumque, quibus rationibus nitatur, hic brevissimâ adumbratione mentibus vestris exhibere constitui.

Antequam anatomiæ stadium metiamur, tempora, quibus hæc ars nata, quibus præcipuis periodis, et à quot quantisque viris, generoso quodam atque invicto ardore contendentibus, aucta atque perfecta fuerit, respiciamus : nam ut utile sic jucundum erit illustrium virorum labores, ejusdem veluti catenæ annulos, persequi, qui de humano genere optime meriti, digni, si quis unquam, videntur, quorum memoria nobis carissima sit, nec sine grati animi affectu repetatur.

Huic porrò adumbrationi adjiciemus examen succinctum nexuum præcipuorum, quibus arctiùs illigata cernitur anatomia cum aliis medicæ artis partibus : sic enim facillimè id me assecuturum confido, quod maximè opto, videlicet ut in lectionum initiis vehementius mentes vestras permovendo, ardentissimum in vobis studium amoremque artis excitem, cujus ipse deliciis lubens fui et constanter addictus.

In anatomiæ historiâ merito silemus incerta illa tempora, ad quæ initia ejus vulgò referuntur; quid enim attinet è Manethone memorare Athotem vetustissimum Ægyptiorum regem, anatomicam solertiam pluribus operibus exposuisse, cujus si verè extitisse tam antiquum monumentum, mythologicis, ut ita dicam, anatomiæ annis, credamus; certum est illius seriore ætate nulla superasse, nec quidquam profuisse ad artis incrementum. Ægyptios tamen anatomiæ, operam dedisse, nonnullis persuasit notissimus eorum mos corpora pollingendi; at quis ignorat solos sacerdotes apud eos et omnes sibi disciplinas arrogasse, et eosdem, superstitione obnoxios simùl et præponentes, ne tolerasse quidem, ut animalia vel vilissima, velut felis et canis, dissecarentur, neque hoc quisquam audere sine certissimo vitæ periculo potuisset.

Igitur missis quæ fabulis propiora videntur, anatomiæ originem à sæculo venerandi Samiorum sapientis, Pythagoræ repetendam existimamus; in hujus enim scholâ crotoniensi insigniter celebrata, sexto ferè ante Christum sæculo, enituit physiologia, videlicet egregii viri philosophandi ratione semper ad corporis functionum investigationem delabente. Mox inter ejus discipulos extitere animalia dissecandi arte insignes bene multi, quorum sanè dolendum est intercidisse solertiæ monumenta. In his omnium celebratissimus Alcmæon, Pirithoi filius, Crotoniates, qui inter primos, quantum scimus, morbum in dissentientibus organorum motibus, sanitatem in recto functionum animalium consensu positam esse docuit. Idem vero primus, quod certissimum, anatomiam aggredi ausus est; quippe qui de oculi auditusque natura multa et præclara in lucem protulerit; auditus quoque meatum invenit, longo post tempore ab Eustachio tubam adpellatum. At multò etiam majori admiratione digna illustris hujus medici theoria somni, cujus causam à sanguine è cerebro ad interiora refleunte derivabat, undè ingeniosè docebat necessario sensus gravari et sopitos quiescere.

Nec verò prætereundi nobis hoc loco sunt alii quos antiquitas anatomes scientia claros celebravit, Epicharmus, Democedes, et Empedocles, cujus ante alios sacra nobis sit memoria; is enim ventorum, quibus epidemiæ tribuendæ, vim non semel cohibuit. Hi omnes philosophi in organismi studium tota mente incumbebant, et Empedocles præclara physiologiæ cognitione in generationis

ratione recondita nonnulla feliciter explicuit. Anatomicis autem adnumerandus etiam Timæus Locrus, qui librum de natura mundi laudatissimum edidit, nec non alium de homine, quem ejus contemporanei et imprimis Plato miratus est.

At enim post feliciora auspicia, longo temporis spatio, nemini contigit anatomiæ limites prorogare, quippe omnes veteris ævi populi cadaverum sectionem, ut flagitiosum quid et religioni contrarium detestabantur; atque hæc insulsa ingenii humani religio, ut disciplinæ incremento plurimum offecit, sic ubique ad seriora usque Romanorum tempora duravit.

Attamen apud Græcos nunquam cupido cessavit anatomiæ scientiam longiùs usque provehendi in qua perscrutanda præcipuum locum tenuerunt Asclepiades, quorum è stirpe illustris Hippocrates hanc scientiam sibi quasi totam vindicavit, scriptisque suis expositam, posteritati tradidit, undè meâ quidem sententiâ secunda ætas anatomiæ ab Hippocratis celeberrimo sæculo maximè repetenda est.

Quanto ingenio viri mentionem fecerim, intelligitis auditores! quanto splendore medicam artem illustravit! quam certis regulis observandi artem ferè omnibus numeris absolutam definivit; quas regulas quis dixerit eum non ex anatomiâ potissimum duxisse, quam summo studio coluit? Enim vero tanta fuit in Hippocrate anatomiæ scientia, ut graviores auctores quidam dubitaverint eum cadavera humana dissecuisse. Attendite ad viri immortalis scripta; cognoscite quam enixè discipulos ad corporum animatorum studia impellat; ipse vero quantum tempus, quantum mores patiebantur, eidem studio deditus, animalium quidem dissectioni dubium non est quin impensè vacaverit; at idem, quo constat eum hominis anatomiam studio cognovisse, de sanguinis circulatione, ea statuit, quæ nostrâ ætate dignissima videantur, et anatomica scientia probat se chirurgiam simul cum medicina professum esse: quò magis mirandus est divinus vir qui ambas medendi partes certis limitibus separari noluerit. Atque hæc quidem animadvertisse sufficiat, ut pateat ante omnia commendandum medico esse anatomiæ studium, illo autem neglecto caducis fundamentis artem superstrui. Atqui idem inclytus vir, si ætate nostra reviveret, quibus tandem probris notaturum putatis medicorum nostrorum vulgus, quos inertia à corpo-

rum dissectione avertit! o vanos sermones ignaviæ indulgentium, qui levem fabricæ organorum cognitionem sufficere medico contendunt, ut pote morbos tantum internos observanti : enim vero æternæ oblivioni tradatur stolidissima in medicinæ studio norma, quâ humani corporis structura vel è tabulis æneis, vel è libris, nunquam non malè consultis, haurienda erat; unus verusque naturæ liber est, quem corpus humanum suppeditat.

Jam ut ab Hippocrate ad alios transeamus : monumenta desunt quibus cognoscantur insignis philosophi, Democriti abderitæ, Hippocratis æqualis, in anatomia conatus; quem constat experimentis præsertim indulgentem in natura perscrutanda et animalia innumera dissecuisse et de sensuum artificio commentationes plures edidisse; idemque quod posteà multi, sensus quasi imagines remittentia specula esse conjecit, unde ex ejus opinione omnia sensuum organa unum tantùm plus minusve amplum exprimunt.

Democrito ætate posterior fuit Aristoteles, vir immortalitati consecratus is pariter multa ex operibus anatomicis hausit, et in physiologia jam vires distinxit, ut extrà controversiam positas, sensitivam, generaricem, nutritiam et alias : ex ejus nempe repertis, tanquam clara vastissimi ingenii face, functiones illæ lucidiùs, quam unquam fuerant, explicitæ et evulgatæ.

Sed veritatis subtilior indagatio in humani corporis structura tum demùm contingere et felicissimo tentari successu potuit, ex quo ipsum inspicere licuit; atque hoc manifesto patuit, schola alexandrina Ptolemæorum beneficio, trecentis ante Christum annis, instituta, in qua primus Herophilus, deinde Erasistratus omnem medicinam anatomiæ luce perfuderunt; concessa facultate cadavera humana interrogandi, hi rara disciplinæ monumenta reliquere, quæ vetustas delere haud potuit. Hæc fuit ætas tertia anatomiæ illisque præclaris autoribus anatomici sermonis multa accepta referimus; illi nervorum labyrinthum et vasculorum capillarium pervestigaverunt, et studii viam monstrarunt; nec minus organa sensuum et nervosa pleraque illustrarunt; illorum industria satis distincte segregati nervi veri sunt à partibus albis et ligamentosis, quas antiquiores aut confuderant, aut, an separari possent, in disceptatione reliquerant.

Herophili et Erasistrati præcepta horum discipuli satis habuerunt pressè sequi,

nihil ipsi ad artis incrementum comparantes; quippe jam imminebat tempus, quo rerum commutatio disciplinarum ruinam moliebatur, tempus quo humanum ingenium sterilitas quasi fatalis occupavit, post sæcula demùm ex alto sopore excitandum. Itaque et anatomia per quadringentos annos eodem torpore laboravit. Tametsi interdum densas tenebras pauci tollere aggrederentur, in quibus Plinius, Celsus, Soramus, Aræteus.

Tamen restauratæ anatomes gloria imperatorum romanorum ætatis splendidissimo decori debetur Galeno, cujus vastum ingenium æquales stupuerunt, quamvis idem non tam magnopere auxit scientiam, quam aliorum doctrinam, repertaque libris suis nitidè disposita produxit, quam laudem omnes ei meritoque tribuerunt: itaque summus Riolanus anatomen à Galeno velut è fonte hujus disciplinæ uberrimo derivandam judicavit et ex ipso fonte purissimam haurire doctrinam, quam rivulos consectari maluit. Post Hippocratem igitur et alexandrinos magistros, amplificata medicorum cultui reddita est anatomia, studio cujus exinde, ut quisque medici nomine dignus, ita deditissimus fuit; sic scientia à Galeno adornata per tredecim sæcula à medicis fideliter servata. Atque hoc loco quis non infausta artis fata et ævi ignorantiam deploret, quæ per tantum spatium animos quasi catena arctè constrictos tenuerit. Oppugnata est anatomia à Sarracenis, eademque à primis christianis pariter atque à Judæis acerbiùs quam ulla disciplina lacerata, tantus veræ lucis in hisce populis timor, falso insanoque religionis amore agitatis! Non videbant illi anatomes exercitia proscribendo, se lumen extinguere, cujus fulgore fanaticorum abyssum vitare posset humanumgenus.

Sed qui tandem vos satis prædicabo eximios inter Arabes viros, viventes in illa terrarum parte sub servitutis ferreo jugo gemente: Hæc non potuit generosos animos vestros deterrere, quin artes disciplinasque servantes melioris mundi saluti prospicerent; litterarum splendore eminentes, anatomiæ juxta atque philosophiæ cultores, larga manu doctrinarum præcepta, quas oblivioni tradere multos non puduisset, spargebatis. O generis nostri pretiosi parentes! Laudes præmia laborum accipite; propitiora adventant fata, quæ parastis ipsi et ventura sentiebatis; succrescit lætèque exuberat nova ingeniorum seges; nova lumina per orbem terrarum diffundit sæculum decimum quintum.

Primus inter anatomiæ restauratores prodit Mundinus professor Bononiensis, publicè diciplinam adhibitis cadaveribus demonstrans, cujus tandem vera studii via indicatur atque in universum adoptatur. Successerunt huic Joannes de Concorreggio, Berengarius Carpus doctissimus Bononiæ medicus, et Nicolaus Massa venetus, ambo inclyti professores quorum scriptis anatomiæ theatrum locupletatur. In Gallia autem Jacobus Sylvius, Guido de Chauliaco, eodem ardore provehendæ disciplinæ impelluntur, cujus, exinde finibus velut immenso spatio prolatis, ad summum penè fastigium effertur.

Sanè post Galenum, cujus ingenium æternæ memoriæ dicatum, omnia ferè complexum fuerat ipsius sæculo cognita, celeberrimi hujus viri præceptorum tanquam imperium mentes subegit; et amplissimi et acerrimi ingenii erat, hactenus traditam doctrinæ summam augere et perficere conari Ausus tamen est arduum munus suscipere Belga, ingenti fama dignissimus, Andreas Vesalius: is errorum caliginem clara luce dissipavit, admirationem in se convertit sæculi sui, numerosisque in anatomia disquisitionibus atque repertis summa cum gloria disciplinam in academia Patavina profitens, ut præcedentium memoriam penè extinxerit. Isagoge anatomica, incomparabilis solertissimi illius ingenii fetus, vulgata auctorem quasi oraculum suæ ætatis extulit, imo verius omnis ætatis; Vesalii enim ore ipsa natura nobiscum colloquitur, quem quidem ducem erroris, si quis dici potest, expertem quot discipuli et secuti et mirati sunt! quos utilissimos labores aggressi et ipsi gloriam sibi peperere! In his ponendi Ingrassias, Columbus, Fallopius, Eustachius, Laurentius, Andreas à Cruce, Paræus, alii quasi innumeri, quorum venerandis lucubrationibus anatomiæ artis campus mirificè ditatus.

Sub finem sæculi XV, in diversis Europæ regionibus erecta fuere theatra anatomica, in queis uberior inventorum novorum seges oblata, unde in therapeuticen imprimis pretiosissima adjumenta redundarunt: enim verò Bartholinus et Rudbeck latam lymphaticorum provinciam, Harveus autem anno 1619 cum fama immortali circularem sanguinis motum posteris expositum commisit. Exinde latiùs viguit, jam universos magis quam singulos occupans, anatomes amor, nec apud Italos modo, sed Anglos, Germanos, Gallos et Batavos. Hinc mirabiles

illi et generosi æmulantium labores, verè herculeis nisibus, Vieussentius, Glissonius, Malpighius, Leuvenhoeck, Swammerdam, Warthon, Stenon, Duverney in disciplina ditanda et perficienda ardentes, ejus excelsa vastaque monumenta posuerunt.

Igitur in immenso hoc bonorum thesauro unum relinquebatur, ut philosophicæ dispositionis ratio accederet, qua vera doctrina, systematico lucidoque ordine contexta, studentium oculis offerretur. Quo facto novas, et novo labore anatomia opes cumulavit, nam Weitbrecht, Zinnus, Winslow, Sabatier, Soemmering, Vicq-d'Azyr, Cuvier, in analysim incumbentes, et scripserunt multa et gravissima repererunt; nec peribunt tantorum virorum opera, qui ingenio juxta atque pretiosa methodo colligendi, nec minus eloquentiæ nitore eminentes, innumeris discipulis artem tradiderunt : horum ergo memoria tam gratis animis servetur, quam aliorum, quos doctissimos et laboriosissimos paulò ante hanc ætatem æterna dignos vita mors hominum generi eripuit, inter quos ante alios nominandi Albinus, Morgagni, Camperus, Hallerus, Meckelius, Monro, Hunterus et alii.

Tandem attingimus finem in re anatomica progressuum : de cujus divisione artis nonne hoc prædicare licet, felicissima industria labores ad excelsius fastigium quam ullam elatam fuisse? Neque tamen ideò obliviscamur nos magnas grates pro magnis meritis debere autoribus, quales Chaussier, Dumas, Dumeril, Boyer, Dupuytren, et summus vir, inque rebus anatomicis princeps, recentior Bichat. Liceat mihi hic momentum temporis immorari in hujus viri ingenio mirando, qui acumine Boerhaavium æquiparasse vel ab iis judicatur, qui in schola leidensi florent. Sit inscriptum Bichat nomen et servetur mentibus nostris tanquam in perennibus disciplinæ fastis. Hallerus novus, Morgagni præsentis ætatis, in physiologia ac pathologia studio pari conamine indefessus dies noctesque consumpsisti, severo judicio, subtilissima mentis solertia, ingens observationum compendium collegisti! Quanta tui ingenii ad medicinam altiùs tollendam vis fuisset! Sed heu infausta fata, regnum tibi invidentia, trigesimo secundo ætatis anno in ipso vitæ flore te eripuerunt. Hæc in summi viri laudem dixisse juvat; nunc ad orationis meæ partem transeo.

Quibus nexibus sociata cohæreat anatomia cum aliis disciplinis iisque pluribus in sequentibus consideremus. Ex illa igitur nobilem originem sortiuntur physiologia, historia naturalis animantium, medicina et philosophia; adjumenta autem tantummodo ab eadem repetunt mathematica, physica, et chemica. Physiologia nascitur ubi desinit anatomia. Istud axioma prodo veluti eruditi de chemia, quæ secudùm horum sententiam ipsa lucet, dum physica fugit. Ex hoc anatomia præstat physiologiæ. Dum anatomicum scalpellum implicatam humani corporis telam retexit, physiologia altiùs interiora penetrans proprietates vitales perspicere, atque organorum apparatus, varios effectus sensibilitatis motuumque evolvere tentat; hinc parata observationum curiosissimarum congerie arcana naturæ in potentiis vitalibus reseramus, quæ corporis animati machinam moderantur. Mox universa zoonomia physiologi meditationem in se convertit : quæ ut penitus cognosci posset, nonne anatomia et physiologia mutuo auxilio confluere debuerunt? Non prætereunda nobis hoc loco sunt verba illustris Halleri sic præclarè pronuntiantis « : Qui physiologiam ab anatome avellere studuerunt, « ii certè mihi videntur cum mathematicis posse comparari, qui machinæ alicu- « jus vires et functiones calculo exprimere suscipiunt, cujus neque rotas cognitas « habent, neque tympana, neque mensuras, neque materiem. Mihi verò ab istis « æsopicis per aerem architectis adeò aliena mens est, ut vix quidem nos in « physiologicis scire persuadear, nisi quæ per anatomen didicimus. »

Atque hinc facilè perspicimus, cur physiologia apud veteres parùm profecerit, scilicet anatomiæ minùs, quam necesse ad eam rem fuisset, studiosos; sed hoc ipso est cur impensiùs eos miremur, Cabanis celeberrimi viri verba repetentes : « Il faut avouer cependant que les traits caractéristiques de la maladie et de « la santé, que les lois générales des phénomènes vitaux, que les relations mer- « veilleuses établies entre les différentes parties du système organisé, relations « dont la pratique médicale emprunte tant de vues heureuses, en un mot, que « les affections, et si l'on peut s'exprimer ainsi, que les mœurs de la nature « vivante, avoient été bien observées et décrites par les anciens : en effet pour « peu que l'on soit versé dans la lecture de leurs écrits, on ne peut méconnoître « la solidité de leurs principes de théorie et de règles de pratique, que ces

« contemplateurs attentifs de la nature avoient tirés de leurs observations; et « peut-être après Hippocrate, les hypothèses adoptées successivement sur la « physique animale, ont-elles été plus nuisibles en général aux progrès ultérieurs « et durables de la médecine, qu'utiles à la gloire éphémère de leurs auteurs. »

Ingenti cumulo disciplinam auxerunt experimentorum artes perfectæ; anatomiæ quantùm accessit ex conjunctis matheseos et physices viribus : etenim hisce acceptos referimus apertos visus effectus, iisdemque tribuenda notitia tenoris potentiarum muscularium. Hanc rerum ac doctrinarum stabilierunt harmoniam omnes inclyti viri, Riolanus, Lecatus, Monro, Zinnus, Mariottus in evolvendis apparatus ocularis functionibus; nec minus Borellus, Boerhaavius, Hallerus, Lahirus, Hambergeriusque, locomotionis diversas normas investigantes.

Chemiæ autem accedentibus exercitiis anatomicis pretiosi scaturiunt fontes, quibus illustratur explicatio phænomenorum respirationis, calorificationis, quam vocamus, et hæmatoseos : atque in his partibus physiologicis quantam monstrarunt solertiam, Hallerus, Reidus, Goodwin, Schelius, Hallé, Lavoisier, et præsentis ætatis anatomici, physiologiæ insigniori scientia celebrati; hi enim subtilitate experimentorum naturæ subtilitatem superarunt, nova eaque innumera detegentes, quæ ab actione organorum nostrorum in corpora quædam chemiæ volatilia pendebant. Præsenserat olim Bichat utilitatem laboris, quem deinde prosecuti Chaussier et Hallerus ; nec sine laude hic nominandus inclytus civis noster Nysten, cujus præmaturus obitus viris doctis acerbissimus fuit; is enim novum opus funditùs creavit, solusque ingeniosissimè explicuit status pathologicos numerosorum vitæ apparatuum, quos varianti gasorum à chemicis exploratorum actioni subjecerat.

Jam si de historia naturali quærimus, quis aut gravissimum hocce studium lucidiùs depingendæ hominis cognitioni mirè inserviisse, aut singulares thesauros, quos Buffonius, Daubentonius, Vicq-d'Azyr, Cuvier hic largiuntur, omnes ab anatomia repetitos esse ignorat? Hos scientiæ zoonomicæ generalis novos conditores imitantur Itali, Scarpa, Volta, Galvani, Spallanzani, qui naturæ vivæ sagacissimi scrutatores, immortalem sibi gloriam felicissimis laboribus pepererunt. Enimvero eorum doctrinæ abundantia veri ingenii tanquam ditissima

2

quædam officina verissimè judicatur; testanturque scripta, in quibus philosophica mente progredientes analysi severa acta naturæ ordinant; nec verò est ulla repertorum ab iis species, quæ non magnoperè profuerit disciplinarum incremento. Quanto iidem hominum commodo amplectuntur præceptum immortalis Baconis, cujus ore divinam sententiam quasi perpetuò repetitam audire videntur: « Historia naturalis et experimentalis tam varia est et sparsa, ut intellectum con- « fundat et disgreget, nisi sistatur et compareat ordine idoneo; itaque formandæ « sunt *tabulæ et coordinationes instantiarum*, tali modo, et instructione, ut « in eas agere possit intellectus. » (1)

Verùm longiùs nobis non immorandum in re, quam satis et docuerunt et probaverunt medici recentiores, nodum retexentes, quo medicina et anatomia arctiùs revinctæ probentur. Jus suum obtinuit anatomia, quam rudes practici opinione futili ducti tanquam inutilem oblivioni vovere frustrà optaverunt; eorum enim opinio, à segnitie et mentis stupore profecta, vix in lucem emissa, tenebris quibus digna erat abscondita, evanuit. Illos igitur mittentes de difficillima et imprimis memoranda anatomiæ, pathologica scilicet parte, hìc paucissima adjiciamus. Hæc veluti medica anatome, post mortem organa adfecta considerat, statusque diversos, quibus contextus durante morbo torti, penetrat. Quot errores deprehendere et evulgare potest hæc exploratio! quot notas turpissimas eadem inurit medicorum turbæ inani systemate superbientium, qui tanto quasi torpore occupati, ut arcana scientiæ læsionum organicarum funditùs ignorent. Nos autem doctissimum Bonnetum et laboriosissimum Morgagni imitemur. Horum jam secuti vestigia sunt ingeniosi viri Baillie, Bayle, Laennec, Dupuytren, Cayol et Cruveilher; sed auro supersunt ditissimæ fodinæ, supersunt viæ necdum tritæ investigandæ, et è longinquo portenduntur; has indefessi percurramus, nec pudeat nos in clinice errores fateri, si fortè damnaverit judicium nostrum sectio cadaveris, aut si qua de causis locisve morbi falsa practici indicaverimus, ne patiamur nos exprobrationem Morgagni incurrere, qua coævos suos incusabat. « Quâ igitur ex scholâ, aut quo tandem ex

(1) Baco, nov. org. L. II, aphor. X.

« genere hominum paucos illos esse, dicemus, qui cadaverum sectionibus,
« quas empirici ac dogmatici ad morborum causas detegendas esse adeò utiles
« censent, non magnoperè fidendum esse pronuntiant? Quosdam sciolos auda-
« culos esse audio, aliquos otiosos et delicatos esse video, nonnullos desperatos
« scepticos, non neminem fortassè verentem, ne sic ejus in dignoscendis morbis
« errores aliquandò retegantur. » (1)

Diximus suprà anatomiam philosophiæ tanquam sororem comitem incedere, quæ necessitudo præcipuè nascitur è comparata animatorum compositione : huic anatomiæ studio favebant post Aristotelem Buffonius, Camperus, Vicq-d'Azyr. Videmus eximios illos auctores, scalpello characteres hominis investigare; animadvertimus Vicq-d'Azyr, Cuvier et alios delineantes membrorum superiorum atque inferiorum dispositionem, tum in quadrupedibus, tum in humana specie; exindè miramur illos viros excerpentes æternam bipedis status nostri consequentiam. Notum est magni nominis philosophum hanc rem in dubium quoddammodo vocasse; sed dirempta controversia anatomiæ certissimis argumentis et philosophi Vicq-d'Azyr auctoritate; is enim, inter argumenta validissima, occipitale foramen ita in homine positum ostendit, ut nullo conatu horizontali motu caput rotetur; inspicit idem vias nasales, quarum aperturæ opportunissimè collocatæ odoribus recipiendis; observat planum fornicis palati circà pharyngem modicè inclinatum, globos denique oculorum, quorum positus motusque hominem ad cœli contemplationem invitant et facilem promptamque concedunt rerum in terrâ, queis circumdatur, intuitionem, undè nobilissimum illud Ovidii poetico spiritu excellentem nostram præ cæteris animalibus naturam declarantis : «

« Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
« Os homini sublime dedit cœlumque tueri
« Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus. »

Ovid. *Met.*, *tom.* 1.

Sed ulteriùs progredientes videamus, quantùm hominis cognitionem anato-

---

(1) Epist. Critoph. Jac. Trew. t. 1.

micorum industria auxerit; miremur Camperum circino angulum facialem animantium, hinc speciem eorum, nec dubia ratione, ipsorum quoque hominum determinantem, quin etiam intellectus penè mensuram constituentem: nam statu habito medullaris massæ, quæ longè major in homine quam in brutis, dum in illo nervosi funiculi exiliores deprehenduntur, judicamus, qua cerebri functionum excellentiâ nos valere debeamus. Ac si cum Buffonio, Cuvier, aliisque respiciamus extremorum corporis nostri aptissimam formam, si manus humanæ infinitis usibus accommodatissimam et distinctionem et dimensionem attendamus, quantum super omnes brutorum species eum attollimus, tum verò simiarum genus, cui nonnulli historiæ naturalis cultores nos ausi sunt assimilare.

Vix finem orationis inveniam, si denuò acta anatomica cum iis, quæ physiologia præbet, comparando, demonstrare instituam modificationes, ut vocant, morales, quas offerunt sexus, atque temperamentum. At quanto major materiæ abundantia existeret, si tradere vellemus anatomicas rationes animi voluntatisque inclinationum et pathematum, in puerili, in virili, in senili ætate; crebrò enim possent, examine in iis tentato, quibus pretiosissimum donum, rationem, natura negavit, indicari organicæ causæ vesaniæ, nec difficile foret cum Willisio, Gall, Pinel, aliisque conjicere de vero ac falso delirio et utriusque causas discernere: undè æternâ memoriâ servemus philosophi hominum amicissimi Cabanis verba. « Dans les différens asyles où la société recueille la démence, « dans ceux où les lois entraînent le crime qui n'est lui-même qu'une démence « d'un autre genre, vous trouverez des preuves plus frappantes encore peut-« être de ces rapports constant entre le physique et la moral; vous y remar-« querez bientôt que certaines dispositions organiques, manifestées par les formes « extérieures, par les traits, par la physionomie, accompagnent toujours les « habitudes coupables et les écarts de la raison; vous reconnoîtrez avec la « satisfaction d'un ami des hommes, que ces deux espèces de désordres se « confondent souvent et qu'ils sont toujours plus ou moins liés entre eux. »

O egregiam disciplinam anatomicam, artem ut per se gravissimam, sic certissimam et omnis ævi sapientibus caram; quos nunquam non ad finem optatum, ad veritatem, perduxit. Nec jam difficile est ejus amorem cultumque

excitare et promovere, nec opus est imaginem ejus ad adulationem compositam exhibere. Ipsa facies tenebrosa, qua obducere eam multi voluerunt, quasi proprius illi videtur decor, venerandusque habitus, satisque splendoris à physiologiæ ornamentis trahit, quibus mirificè capimur, nec minus à philosophiæ fructibus, quos ad maturitatem provehere docet. Quare te disciplinam sanctissimam nobis constanter ducem futuram in hocce templo, tuo honori potissimum consecrato, junctis vocibus juremus.

Vos autem, ornatissimi artis medicæ studiosi, vos, quorum benè multorum passus, singulari quâdam animi voluptate, dirigere tentavi, sive in amphitheatris, sive in nosocomiis, vos ardore acerrimo nunc magis incendi decet: jam complures inter vos primis è tentaminibus mercedem optatam et honorificam retulerunt; sed in hocce ædificio tam magnifico, regio, ut verbo cuncta complectar, apparatu disposito, palma, cujus ardetis amore industria vestra coronanda erit.

Vos, quorum felicissimas mentis dotes novi atque perspectas habeo, vos, quorum ingenio musæum meum, licet imperfectum, stetit, in arenam hodiè descendetis, ut uberior gloria labores vestros remuneretur: mox ipsi muneri nostro ex parte vacaturi, ejusdem cum nobis stadii cursores, memoria teneatis promissa, quæ sacra vobis esse officium jubet; ne vos unquam fugiat, voluntati ad ardua propensæ maxima commoda, lætissimos fructus progigni. Discatis denique mutua vestra nostraque virtute et officiorum contentione, naturum esse mirandum illum communis industriæ consensum, per quem liceat nobis vocem nostram cum summorum virorum regni nostri conjungere, quorum manes non desinunt posteris laborem, constantiam, gloriamque commendare.

DIXI.

IGNATII DENZINGER

ORATIO

DE ANIMO, QUO AD PHILOSOPHIÆ STUDIUM ACCEDENDUM EST,

HABITA

DIE IV. NOVEMBRIS MDCCCXVII,

CUM PHILOSOPHIÆ PRINCIPIA IN UNIVERSITATE LEODIENSI EXPONERE INCIPERET.

ORNATISSIMI

OMNIUM ORDINUM AUDITORES!

Antequam dicendi initium faciam, divino numini grates agere necessum est, quod mihi præ reliquis contigit, in augustissimâ hâc cathedrâ divinæ illius scientiæ, quam Philosophiam nominant, præcepta exponere. Sentio enim, quantum et quàm præclarum sit, prima et originaria veritatis atque virtutis principia viris adolescentibus insinuare, qui parentum amor, præceptorum cura atque voluptas, Patriæ atque Regis Augustissimi spes, omnisque virtutis omnibus mortalibus pignora sanctissima sunt; neque me fugit, nil majus, pulchrius atque divinius excogitari posse, quàm iis omnis cogitandi agendique rationis auctorem evadere, à quibus universum genus humanum optima quæque et præclarissima jure exspectare potest, si benè instituti sint; omnia autem maximo malo suo veretur, si aut perversâ doctrinâ in avia et devia seducti fuerint, aut Philosophiâ nomine præclarissimo indignâ ad finem, huic scientiæ propositum non pervenerint.

Deinde ex imo vobis corde gratuler, necessum est, quod Augustissimi, Excultissimi atque Optimi Regis munificentiâ hoc vobis Philosophiæ magisterium concessum est, non quia viribus meis maxima quæque confido, sed quia persuasum habeo, Philosophiam omnium sanè scientiarum primam atque præstantissimam esse. Quid enim vita humana est ad Philosophiæ præcepta non instituta? Mihi saltèm nulla alia esse videtur, quàm illa vulgi, quod brutorum adinstar nullâ aliâ lege in cognoscendo atque agendo regitur, quàm quæ aut à

consuetudine proficiscitur, aut ab aliis suppeditatur, vulgi illius tàm chlamydati, quàm coronati, cujus humilitatem Seneca rectè dijudicavit, de vitâ beatâ disserens : « Non enim colorem vestium, quibus prætexta corpora sunt, « adspicio : oculis de homine non credo : habeo melius certiusque lumen, quo « à falsis vera dijudicem. Animi bonum animus inveniat. » (*) Sed animi bonum nullâ culturâ nulloque studio neque foris, neque domi acquiri potest, nisi à Philosophiâ vitæ magistrâ profecta, ejusque principiis suffulta sint.

Quæ cum ità se habeant, monendos vos quoque puto, ut tanto tàmque excellenti beneficio indefessâ diligentiâ, serio studio, maximâque animi sinceritate dignos vos reddatis. Adolescentes usque eò in scholis aut publicis aut privatis adolescentium more vitam egistis, ad præceptorum ductum levia tantummodò et trivialia tractantes. Jàm verò postquàm ad academicam dignitatem ascendistis, *vestri* in animo et ingenio excolendo *juris* facti estis. Hominem sui juris autem non eum cum Persio (**) dico, cui ducere vitam licet, ut voluit; sed eum, qui suus factus est eo, quod propriam ad legem vivere potest. (***) Quis verò est, qui ad propriam legem vivit, nisi qui cogitandi agendique principia è proprio animo desumit, aut è voluntate et arbitrio aliorum desumta libero judicio comprobat? Principia autem, sine quibus nemo sublimiori loco positus est, quàm bruta, sinè quibus nemo se ipsum æstimare aut aliorum reverentiâ gaudere potest, principia illa præclarissima Philosophia vobis subministrabit.

Novi quidem, parvam meam operam futuram in re præsertim, quæ à propriâ animi activitate internâque nostrûm ipsorum contemplatione maximâ ex parte dependet. Sed in omnibus artibus atque scientiis possibilis est manuductio quædam propriam ingenii activitatem non excludens; statui potest methodus aliqua, quâ adhibitâ celeriùs ad finem nobis propositum pervenimus; habentur leges à ratione ipsâ, quæ æterna est et à nullis casibus fortuitis dependet, petitæ, quæ cuilibet exponi possunt, si modò oculos sursùm tollendi attentionemque

(*) Seneca : De vitâ beatâ, C. II.
(**) Persius : Sat. V. 83.
(***) Seneca : Epist. ad Luc. 75.

ad proposita rationis effata convertendi animus ipsi est. Indè et meâ operâ utilis vobis esse potero, dùm in philosophiæ sanctuario amore tenerrimo pleni versati estis non legem, quæ Philosophiæ studium vobis imponit; sed propriam scientiæ pulchritudinem respicientes, quæ quidem tanta est, ut, si quis eam intuitus fuerit, miro illius amore repleatur. Ut autem vobis utilis evadam, me dies noctesque laboraturum, sanctissimo juramento vobis promitto; atque hoc ultimum est, quod faustissimo gravissimoque vitæ momento, quo in Universitate nostrâ, Augustissimi Regis munificentiâ recenter institutâ primâ vice cathedram hanc conscendi, mihi peragendum putavi, antequàm dicendi initium facerem.

Non me fugit in præsentiâ, quin imò clariùs animo obversatur, hominem, ut dicunt, alienigenam hanc in terram me vocatum esse. Quidquid juventus benè acta, quidquid civium consuetudine fundatus amor, quidquid æstimatio actorum laborum, quidquid gentis paternæ superbia præclarâ suorum virtute nutrita eum juvant, ad quem scientiarum tradendarum dulcissimum officium delatum est; ea omnia, quantacunque sint, me nullatenùs juvant; omnis res mea proprio valore confirmanda est, nisi humanitas vestra defectum indè enatum repleat. Sed etiam benè memini, (quod animum meum non parùm auget) de Philosophiâ nobis agendum esse, quæ à ratione præcepta desumens commune quodammodo omnium mortalium bonum est. *Una* nobis Ratio inest *uno* dirigenda principio. Quod si itàque gentes moribus, vitæ victu et cultu diversissimæ veram Philosophiam quærunt, aut sincero animo quæsitam invenerunt, rebus philosophicis differre non possunt. Aliter se res habet respectu bonarum humanarumque artium. Differt pictura itala à gallicâ et belgicâ; differt ars dramatica Gallorum, Italorum, Germanorum Anglorumque; quin imò gentis cujuscunque poesis non unâ eâdemque indole gaudet, ea quæ bona, pulchra et divina sunt vario sub cœlo, vario, licet subjectivè universali depingens modo. (*) Sed quis est, qui non omni ingenio rerumque philosophicarum cognitione destitutus de Philosophiâ *germanicâ*, *gallicâ* et *britannicâ* dicere audeat? Demonstrare deberet, rationem Gallo concessam diversam esse à ra-

(*) Conf. Kant: Kritik der Urtheilskraft. Frankf. und Leipz. 1792, pag. 18. Arist. M. XI. 1.

tione, quæ Anglum Germanumvè, utità dicam, inhabitat. Quæ cum ità sint, de re nobis agendum est, respectu cujus ea, quæ particularia sunt, amoveri debent, ut reperire possimus ea, quæ absolutè, id est omni tempore, omni loco, apud omnem gentem vera et falsa sunt, quibusque assensus denegari non potest, à quocunque profecta sint. Eandem veritatem absolutam, in quam nobis inquirendum est, aversis oculis ab iis, quæ accidentalia singulisque gentibus propria sunt, sincero cum animo anhelantes favete, Ornatissimi Auditores! ausibus meis eâ, quæ ingenuis viris adolescentibus nunquàm peregrina esse solet, humanitate eâque sinceritate, quæ quantum vultus vester, patria atque educatio augurari mihi videntur, minimè à vobis aliena est.

Sed jàm longè plura dixisse videor, quàm rhetorica ars in exordio ad regulam composito laudat, licet paucula sint, si ad ea respiciam, quæ interior animi sensio sanctissima æternoque mihi laudanda tempore præsenti vitæ meæ momento dictat. Oppressâ autem sensione ad ea transeam, necessum est, de quibus disserere mihi proposui. Quid verò philosophiæ in sanctuarium introducendis utilius esse potest, quàm si illis exponam;

Quo animo ad Philosophiæ studium accedendum sit?

Quod ut ordine systematico, quem scientia nostra præ reliquis laudat, possem, dicendum sanè primo omnium loco esset: quid sit Philosophia?

Ad quæstionem modò propositam autem responsum non ità facile esse videtur. Ut enim omittam, varios varia de Philosophiâ cogitare, cum diversa de illius naturâ statuere soleant, et hoc silentio transeundum non est, unam alteramvè de Philosophiæ ideâ opinionem receptam intelligi penitùs non posse, nisi omne Philosophiæ systema justo ordine absolutum sit (*). Sed qualiacunque philosophi de scientiâ suâ statuerint, ad unum tamen omnes in eo conveniunt, *Philosophiam principiorum scientiam esse;* principia autem eas veritates

---

(*) Conf. Cajetan Weillers Anleitung zur freyen Ansicht der Philosophie. München 1804, pag. 19. §. 30.

nominamus, quæ absolutè et universaliter veræ sunt adeòque omnium, quæ sunt et esse debent, dijudicandorum justam et legitimam normam subministrant. Cùm verò repertâ justâ et legitimâ eorum, quæ sunt et esse debent, dijudicandorum normâ veritas absoluta nullique dubio obnoxia in cognitione nostrâ possibilis sit, Philosophiam, quam principiorum scientiam definivimus, *veritatis absolutæ scientiam* definire (*), similiter fas est. Omnis autem philosophorum differentia aut eo nititur, quod alio modo veritatis absolutæ Principia enuntiant, aut eo, quod aliâ methodo ad ea devenire student (**). Hinc Philosophiæ historiam si perlustrare volueritis, O. A! facilè reperietis, longè diversissimos philosophos id tandem concedere, Philosophiam principiorum adeòque veritatis absolutæ scientiam esse. Novimus, Platonem atque Aristotelem è diametro sibi oppositos esse (***). Quod si verò ex illo quærere volueritis: quid sit Philosophia? respondet: Philosophiam ejus scientiam esse, quod sit absolutum et ejus, quod absoluto conditionatum sit. (****) Sed absolutum nullâ aliâ re cognoscimus, quàm principiis; principia autem veritatem involvunt. — Quod si verò hunc interrogare placuerit: quid sit Philosophia? idem ultimò responsum dabit, dicens: Philosophiam cognitionem è rationibus deductam esse (*****). Rationes autem quid tandem sunt, nisi veritatis cognoscendæ principia? Quæ cum ità sint, de eo, quid Philosophia sit, disserentes originariè non differunt. Manente verò consensu originario in longè diversissimas sententias abeunt. Dùm enim Plato statuit, principia nobis divinitùs inesse atque reminiscentiâ pristini statûs in mentem nostram revocari (******), Aristoteles omnia principia expe-

---

(*) Conf. Andreas Metz: Über den Werth der Logik im Verhæltnisse zur Metaphysik und Mathematik. Würzburg 1814, pag. 1 et seq.

(**) Conf. hâc desuper re: Encyclopædie der philosophischen Wissenschaften. Von Hegel. Heidelberg, 1817, pag. 4.

(***) Conf. Klein Beytræge zum Studium der Philosophie des All. Würzburg, 1805, pag. 59.

(****) Plato: de republicâ.

(*****) Aristot.: Metaphys. I. 2. II. 1.–XI. 1.

(******) Plato: Phædo.

rientiæ deberi defendit (*) ità quidem, ut præclarissimorum virorum concordia sensu strictisimo concordia discors dici queat. Idem infinitè multis aliis exemplis probare possem, si tempus mihi concessum sufficeret. Receptâ autem præviâ Philosophiæ definitione facilè perspicietis, qualis, quanta et quàm ampla scientia sit, cujus limina modò transgredi paratis. Omnis enim, quatenùs anticipando objectum et finem ejus in præsentiâ perspicere possumus, omnis inquam in eo est, ut vobis eorum, quæ sunt et fiunt, esse et fieri debent, dijudicandorum principia suprema tradat, eoque facto ad eam in cognitione quâcunque veritatem atque certitudinem deducat, ad quam homo naturali stimulo agitur, in quâ demùm se ipsum universumque, cujus pars est, cognoscens omnis acquiescit (**).

Modò dictis Philosophiæ *dignitas* elucet. Quid enim majus et sublimius veritate est, quam deam Philosophia è cœlo in societatem humanam deducit, quam antiquissima tempora virtutis matrem salutabant atque divino afficiebant honore, quam solummodò aulicorum perditissimus derisui habere poterat quærens: quid sit veritas (***)? quâ solâ cognitâ homo ad eam dignitatem ascendere potest, ad quam à numine divino intellectu et ratione armatus omni studio ascendere debet; quâ solâ cognitâ ad se ipsum reducitur talisque evadit, qualis sit, necessum est, ut à brutis distinguatur; quâ solâ cognitâ in hominum cultorum circulum ingreditur atque à vulgo profano differt, quod aliorum perditissimorumque non raró hominum influxui obnoxium est; quâ solâ cognitâ sui juris fit atque à consuetudine et more recepto liber propriam agendi rationem sequitur; quâ solâ cognitâ præjudiciorum jugum tergo impositum dejicit vinculisque fidei rusticæ, cui rationabilem, homine dignam opponimus, se liberat. Philosophiæ dignitas indè nata eo major est, quod veritatis cognoscendæ principiis neque in scientiis colendis, neque in vitâ agendo conspicuâ carere possumus.

(*) Aristot. : Analyt. prior. I. 30.

(**) Conf. Kants Logik. Kœnigsberg, 1800, pag. 25. Krugs Fundamental philosophie. Zullichau und Freystädt, 1803, pag. 25.

(***) Evang. Joannis 18, 38.

Quæ cum itâ sint, rectè Philosophiam omnium scientiarum primam posuerunt non solùm respectu temporis *primò* colendam; sed etiam respectu principiorum *omnibus* anteponendam, quippè quæ *originaria* et *fundamentalia* principia ab eâ recipere debent. Quæ enim quâcunque in scientiâ vera deprehenduntur, mediante Philosophiâ, omnes scientias complectente atque inter se conjungente vera sunt (*). Namque quæ tandem scientia est aliquo fundamento gavisa, quæ principio primo nitatur, quod in Philosophiæ medio positum non sit?

Sed mittamus scientias, respiciamus vitam, quâcum si scientia conjuncta non sit, omni jure vana, imò nulla esse videtur (**). Quis verò est, qui negare ausus sit, Philosophiæ præcepta adeò latè patere, ut vita hominis nulla omninò sine eâ sit, eò quòd nulla pars vitæ est, neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, quæ philosophicis præceptis carere potest (***)? Quis ignorat, Philosophiam omni fere tempore vitæ ducem et magistram salutatam esse? quis est, qui nesciat, vitam absque virtute nullam esse? Virtutem autèm atque veritatem idem esse Socrates docebat (****). Maximus ergò Philosophiæ in omnem vitam influxus est, atque indè phænomena illa explicatum habent, quæ in omni humanitatis historiâ à primis temporibus usquè ad nostram ætatem attento spectatori obvia sunt.

Quinque jàm millium annorum spatium usquè ad nostram ætatem præterlapsum est, quin Philosophia omnibus cultoribus caruerit. Ubinàm enim in orbe terrarum gens adeò barbara reperitur, quæ nullam omninò rebus philosophicis operam navandam putaverit? quæ, perversam licet adhiberet methodum, non aliquam saltèm divinæ scientiæ reverentiam exhibuerit? quin imò omnes, quas novimus gentes primam omnium quæstionem movebant, quam Philosophia resolvendam sibi proponit. Ad antiquissimas gentes Indi, Ægyptii ab his originem deducentes, Assyrii, Babylonii, Medi atque Persæ, Sinensesque referun-

(*) Conf. Hegels Encyclopædie der philosophischen Wissenschaften. Heidelberg, 1817. pag. 11. §. 10.

(**) Conf. Senecæ Epist. ad Luc, XXXI.

(***) Conf. Cic. de Off. I. 1.

(****) Conf. Senecæ Epist. ad Luc. XLI.

tur ità, ut de eorum primordiis rerum scriptores nonnisi suspicationes proferant. Quid verò Indorum Brohma, Vishnu et Siboh aliud sunt, quam eorum, quæ sunt, principia, mythologicâ Philosophiâ enuntiata? Ægyptiorum hieroglyphi nostris adhùc temporibus Philosophiam in æternis illis monumentis, quæ Romanorum insolens et vesana vis intacta reliquit, incomprehensibilibus characteribus præ se ferunt, eorum instituta religiosa imperiique forma sapientiam admiratu dignam produnt. Chaldæorum sapientia cum omni ferè antiquitate ad astra se recepit omnia fatalismo astrologico subjiciens. Persæ Boni, Malique principium admittebant, Mithrâque infinitum tempus omnia procreans repræsentabant. Sinenses philosophiâ pantheisticâ et numericâ recentiorum temporum oculos ad se convertebant (*). Hebræorum sapientiam antiquissimæ unius rerum omnium principii ideæ inædificatam omnis ætas laudabit. Sed quid dicam de Asiâ, in quâ omnis culturæ prima cunabula posita rectè defendunt demonstrantes mythologicam ejus Philosophiam Emanationis, Metempsychoseos, Fatalismi et Pantheismi ideis præ reliquis distinctam esse? Nonnè in Scytharum barbarâ gente Anacharsis potuit pro nihilo ducere pecuniam (**)? Nonnè apud Getas Zamolxidis inclaruit doctrina (***)? Nonnè ex Thraciâ advena

> Silvestres homines sacer interpresque deorum
> Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus,
> Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones?

In ultimis Europæ barbaræ terminis Druidum deprehenduntur instituta (****). Dixerit aliquis, in mythis (*****) philosophicæ culturæ nullum quæri posse argumentum. Sed cui in mentem non venit, Philosophiam mythicam rerum philosophicarum studium saltem comprobare, ut omittam, plures esse, qui in

(*) Conf. Fr. Schlegel, die Weisheit der Indier. Heidelberg, 1808.

(**) Conf. Cicero Tusc. V. 32.

(***) Herod. IV. 94.

(****) Cæs. de bello gallico, VI. 18.

(*****) Conf. Bruckeri, historia philosophica.

antiquorum temporum fabulis profundiorem sapientiam consultò fabulis involutam, pòst omninò perditam deprehendere se posse, persuasum habeant (*).

Quid dicam de iis, qui veritatem, uti noctuæ atque vespertiliones lucem fugiunt? Nonnè Philosophiæ honorem publicè saltem habent, ut communem omnium sensum naturalemque hominum ergà eam amorem non offendant? Nonnè eum saltem in finem honorem ipsi habent, ut perversas sententias aliquà cum adparentiâ defendere valeant abutentes sanctissimo organo, quod homini à numine divino concessum est?

Quod si itàque neque homines, quos serior ætas barbaros vocavit, neque inculti veritatis adversarii Philosophiæ omnem reverentiam denegare non possunt, quantâ ejusdem æstimatione eorum animus repletus esse debet, qui ad eum in scientiis gradum pervenerunt, ut ea, quæ *bona*, *pulchra*, *vera* atque *divina* sunt, ad se præ reliquis pertinere putent? Quod quale sit, non solùm eorum probatur studio, qui omnia Philosophiæ tribuentes in eo tantummodò summum vitæ bonum ponendum esse censebant, ut amœno gavisi otio vitam philosophicâ contemplatione consumerent; sed etiam eorum præclarissimâ vivendi ratione confirmatur, qui Ciceronis adinstar publico perfungebantur officio; quotiescunque autèm defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut omninò aut magnâ ex parte liberati essent, ad ea semper se studia referebant, quæ ad rectam vivendi viam pertinent, quibusque ratio et disciplina continetur: qui, ut Marcum Aurelium silentio non transeam, in summo rerum gerendarum fastigio Philosophiæ præcepta exponebant, bellique laboribus et turbis impliciti philosophicas meditationes eâdem manu conscribebant, quâ imperii hostes petebant. (**)

Hisce dictis facilè patet, quo animo ad Philosophiæ studium accedendum sit. Cui enim omnis humanitas reverentiam suam non denegavit, annè justum

---

(*) Conf. Vier und zwanzig Bucher allgemeiner Geschichten, etc. Durch Johannes von Muller. Tubingen, 1817, I. B. pag. 7. et 30.

(**) Dresch Ubersicht der allgemeinen Geschichte insbesondere Europens. Weimar, 1814, 1, 35, pag. 374. — Anquetil, Précis de l'histoire universelle. Tom. III. 376.

est, ad eam sine internâ et profundâ reverentiâ accedere? Quâ si quis repletus est, Philosophorum aulam æternæ atque divinæ veritatis sanctuarium habebit, in quod neque levi cum animo, neque quia more sic receptum vel lege cautum est, intrabit; sed quia in eo omnia, quæ vera, bona, pulchra, justa et divina sunt intuitui intellectuali proponuntur. Benè novi, reverentiam eam non omnibus mortalibus communem esse, eò quòd non omnibus datum est, *videre regna cœlorum*; multò potiùs illis tantummodò propria esse solet, qui à naturâ majori vi et vigore animi donati oculis à rebus accidentalibus aversis nonnisi sublimia spectant ad eaque attentionem convertunt, quæ internis oculis solis conspicua rerum finitarum limites transgrediuntur. Antiquitùs receptum est dictum proverbiique vi munitum, quo defendunt, poetam nasci. Quod si verò poeta nullus esse potest, nisi sit et philosophus, nonne majori adhùc cum jure defenditur, philosophum nasci? Cujus asserti nullus alius sensus esse potest, quàm innatam quodammodò atque intimè omni naturâ ejus conjunctam esse Philosophiæ veritatisque reverentiam, quâ tandem ad eum vigorem devenit, sinè quo Philosophiæ studium omni vi internâ caret, atque in trivialem puerorum lusum immutatur. Sed alia reverentia est, quâ ad gravissima quæque subeunda compellimur; alia verò ea, quâ movemur, ut cum sensione profundâ et intimâ ad rem divinæ originis, ut Platonis expressione utar, accedamus, si ab aliis intuitui nostro exponitur. Illam de iis requiro, qui omnem Philosophiæ vitam navaturi ad eam accesserunt; hanc saltem ut ii habeant, postulo, qui non contemplatione philosophicâ, sed rebus in republicâ gerendis vitæ dies consumere decreverunt; illa paucis data est, hæc in nullo homine sano desideretur; perfectissimos autem eos puto, qui Philosophiæ reverentiâ ducti non solùm meditationibus, sed etiam rebus gestis inclarescere student.

Concesso, ad Philosophiam non sinè profundâ reverentiâ accedendum, concedendum etiam est, quod modò dicturus sum, nimirùm Philosophiam suâ ipsius causâ amandam et adpetendam esse. Ut autem Philosophiam tanto tàmque puro amore prosequamur, primò studium illius absque omni respectu ad ulteriores aut scientias aut vitæ indigentias exercendum est. Quo ut eam animo colamus, multa nos monent. Quid enim majus est, quàm varias mentis

humanæ facultates nôsse? Quid præclarius, quàm perspicere leges illas æternas et immutabiles, quas ratio humana in dijudicandâ veritate sequitur? Quid divinius, quàm eorum, quæ sunt et esse debent, supremum principium nôsse, diversas determinare rerum relationes, atque ad profundiorem numinis divini cognitionem pervenire omnem cœcam fidem excludentem, aut saltem commonstrantem terminum, quo scientiæ finis, fidei rationi non oppositæ initium est? Duplicem, ut ità dicam, mundum distinguimus, intellectualem et physicum. Uterque Philosophiæ objectum est: intellectualis, jure antiquissimis temporibus ipsi concesso: physicus, quia hieroglyphorum adinstar sensibus obversatur, nisi mundi intellectualis cognitione adjuti characteres obscuros et inexplicabiles legere valeamus. Eorum autem, quæ sunt, naturam internam principiis nôsse, nonnè omnium præclarissimum est? Nonnè præ reliquis omnibus id anhelandum est, ut eorum nobis cognitionem adquiramus, ad quæ nulla Anatomi sectio viam nobis aperit, ad quorum intuitum neque Astronomorum telescopis, neque Entomologorum microscopis pervenire possumus. Multos vidimus orbem terrarum terrâ marique peragrantes, atque in interiora terræ viscera indefessâ cum diligentiâ penetrantes, ut diversa mineralium, vegetabilium etanimalium genera noscerent nulloque labore fatigati latè patentem illam scientiam construerent, quam historiam naturalem nominamus. Quod si solam utilitatem indè promanantem respexissent, quod si præter cognitionem particularem nil majus atque divinius oculis eorum obversatum fuisset, operæ sanè pretium esse non duxissent, omnibus vitæ deliciis privatos fame, siti atque calore fatigatos in continuo vitæ discrimine vitam transigere, ut deniquè ditiorum mensæ majori ferculorum numero premerentur, ut pretiosa vestis mulierem perditam familiamque negligentem circumdaret, ut deniquè potentiorum horti Asiæ atque Africæ floribus ornarentur. Quin imò malè generi humano consuluissent omnium rerum ordinem pervertentes universalibusque naturæ legibus sese opponentes, quippè quæ hominem ità composuit, ut iis, quæ in patrio fundo producuntur, felicem vitam agere possit. Jamverò nonnè ejusdem historiæ naturalis partem Philosophiam nominare possumus? Nonnè enim et cogitata nostra diversissimis formis gavisa entia sunt, licet ad naturam internam pertineant? Quod si jàm

mundum physicum de se consideratum attentione nostrâ dignum judicamus, nonnè agendi ratio nostra omnis perversa est, si illum contemplantes magnum laborem magnamque pecuniam consumimus, huic suâ ipsius causâ nihil omninò tribuendum putamus? Nonnè perversio nostra eò major efficitur, quòd neglectâ Philosophiâ cognitio naturæ omni sub respectu imperfecta manet?

Sunt aliqua scitu necessaria, quæ aliorum finium ergò cognoscenda sunt. Sic agrorum colendorum regulas addiscimus, quòd iisdem non cognitis fruges uberiores non producuntur; sic juris prudentiæ operam navamus, ut aliorum causam coràm judice civili et criminali dicere valeamus; sic medicinam forensem colimus, ut judici relationibus nostris auxilio veniamus, quæ omnia ne minimo quidem labore digna putarentur, nisi cum finibus aliis conjuncta essent. Alia autem Philosophiæ natura est. Licet enim cum rebus publicis et privatis intimè conjuncta sit, tamen missis ex oculo ad eas respectibus serio adhuc studio digna habenda est; eò quòd objectum ejus tale est, ut mens humana proprio et interno stimulo mota in illud inquirendum sibi putet.

Non me fugit, multos esse, qui Philosophiæ nonnisi ancillarem dignitatem tribuere soleant, adeòque persuasum sibi habeant, Philosophiam eâ tantummodò ratione alicujus momenti esse, quòd jurisconsultus causam aliorum dicere non possit, nisi syllogismos formare, adversariorum argumenta ad logicas figuras vertere, paralogismos et sophismata vi suâ privare, et dilemmata sat fortis pugnator retorquere valeat; quod sibi persuasum habent, absque Philosophiæ principiis ne hypotheses quidem effingi posse, quibus Physices sententiæ non raró inædificantur; quod sibi persuasum habent, absque Philosophiâ medicos neque per inductionem, neque per analogiam concludentes ægroto malorum medicamenta ritè suppeditare posse; quod sibi denique persuasum habent, (ut reliquam doctam gentem non tangam) neminem mortalium, si in publico officio cum pane quotidiano intimè conjuncto versetur, talem esse posse, qualis esse debet, nisi aliquibus Philosophiæ præceptis imbutus sit. Sed hi ejus ferè generis homines erunt, qui aut nullam omninò aut saltem perversissimam Philosophiæ ideam conceperunt, neque majus aliquid noverunt, quàm panem et circenses, quas ad res infimi generis deploranda proles omnia referre solet. Eosdem

autem secum ipsis continuâ in contradictione versari, facile est probatu. (*)

Quid enim? Nonnè picturis conspiciendis multùm temporis tribuunt? Nonnè in remotissimas terras peregrinantur, ut Raphaelis aliorumque Geniorum opera præsentes intueantur? Nonnè immensam profundunt pecuniam, ut eorum intuitu reficiantur, quin indè commodum profluat ad panem et lucrum relatum habens? Nonnè tragicis et comicis productionibus ut delectari possint, multùm temporis consumunt solâ rei pulchritudine moti nullamque indè in præsentiâ mercedem exspectantes? Ii verò, qui concentus musicos audituri confluunt, quid fructus exspectant præter voluptatem illam puram, quæ sensione pulchri habetur? Quod si verò artibus bonis et humanis aliqua tribuenda putant et jure tribuunt nullâ aliâ re moti, quàm quod divinarum humanarumque rerum ideas originarias intuitui proponunt, nonnè sibi contradicunt Philosophiam eodem animo non adpetentes, quippe quæ easdem circà ideas versata est, quæque eo minùs negligenda videtur, quod sensus, qui artium effatis subest, non intelligitur nisi adjuvante cognitione philosophicâ. Quod quale sit artium atque philosophiæ intimâ communione probatur. Vidimus in Græciâ inumeram præstantissimorum philosophorum turbam; vidimus eâdem in terrâ omnis generis artifices florentissimos; sed junctis, ut ità dicam, manibus in publicum prodierunt; eò quòd homines ideis carentes ideas arte juvante intuitui externo proponere non possunt: ideas autem mortales à philosophiâ omni omninò tempore traditas acceperunt. Similiter ii, qui Philosophiâ carent, artium pulchritudinem non comprehendunt. Eo tempore, quo Græcorum Philosophia ad Romanos nondùm transiverat, expugnatâ Corintho urbe Aristidis effigie præclarissimè depictâ mensæ lusoriæ loco utebantur; Mummius autem barbarus eorum dux mutilata artificia, universæ Græciæ superbiam Romam transtulit. Postquam verò græcorum philosophorum doctrina in orbis terrarum caput recepta esset, aurea divi Augusti ætas oriri cœpit, quâ artes omnium admiratione gavisæ esse pote-

(*) Quam nociva in Academiis præcipuè ea scientias dijudicandi ratio sit, vi cujus earum valor solâ utilitate expenditur, profundissimè exponit clar. Schellingius in opere: Vorlesungen ueber die Methode des academischen Studium. Tubingen, 1803, pag. 45.

rant. Redeunte denique mediâ ætate in cœlum Philosophiâ, quam Socrates in hominum domicilia deduxerat, Plato et Aristoteles maximo cum ingenio coluerant, artes similiter depravatæ sunt pudoreque suffusæ è societate humanâ ad unam omnes evanuissent, nisi Religio Philosophiæ vices eâ tempestate subiisset. Quæ cum ità sint, vix comprehendere possum, quomodò mortales artem liberalem suâ ipsius causâ et absquè omni ad utilitatem respectu æstimare possunt, quin Philosophiam earum matrem eâdem æstimatione dignam judicent.

Sed ad majus malum oculos convertatis, O. A. necessum est, quod enascitur, siquis Philosophiam solius utilitatis ergò colendam putat. Evertitur nimirùm omnis animi humani præstantia, omnis vitæ humanæ virtus, omnis reliquarum scientiarum indoles. Quid enim est, quod hominem *hominem* reddit, naturæ brutæ dominum, animantium florem pulcherrimum, mundi intellectualis membrum, numinis divini præclarissimam imaginem, nisi cognitione eorum, quæ bona, pulchra, justa, vera et divina sunt, absque ullo ad utilitatem præsentem respectu conceptâ imbutus fuerit? Quæ cognitio si perversâ sentiendi ratione depravata fuerit atque in rem accidentali valore gavisam transiverit, nullâ æstimatione digna est, nisi quæ à relatione ejus ad ea proficiscitur, quæ tantummodò accidentalia sunt. Quo facto pessimum generi humano accidit, quo premi potest. Inverso enim omnium rerum ordine ea, quæ finium superiorum media esse deberent, finium loco ponuntur eoque facto, communis illa perversorum hominum sentiendi, cogitandi atque agendi ratio oritur, quâ non solùm res domesticæ, sed etiam forenses in avia et devia deducuntur, societasque humana, quæ Epaminondâ, Augusto, Trajano, Antonino Pio, M. Aurelio, Carolo M. delectatur, in hominum inhumanorum cœtum depravatum abit, qui fruges consumere nati cuncta ad propriam rem atque ad brutam voluptatem referunt. Sunt quidem tempora quædam, innocentiæ et simplicitatis ætas nominari digna, quæ naturali vigore heroas producunt, quales in Curtio, Mucio Scævola, Fabricio aliisque vidimus. Ut primùm autem aliqua hominum societas ad majorem culturæ gradum ascendit, ut primùm singulorum relationes artificio nituntur complicitisque legibus res publicæ reguntur, principia à Philosophiâ petenda heroum parentes sunt. Philosophia autem dona cœlestia nobis

non subministrat, nisi suâ ipsius causâ colatur sinceroque et interno amore digna judicetur.

Quid verò dicam de scientiis non philosophicis? Annè Philosophiâ ad ancillarum gregem relatâ melior earum, quàm omnis vitæ humanæ conditio erit? Quod si Philosophiæ nihil tribuitur, quod ipsi *per se* competit; quod si omnis illius valor utilitate adeòque relatione ejus ad aliarum scientiarum fines ponderatur, necessariò à loco amovetur, quo suâ naturâ versata esse debet. Locum illum autem in omni scientiarum particularium Universo centralem esse ità, ut circà Philosophiam omnes moveantur, sicuti planetæ circà solem moventur, vix probem, necessum est. Amotâ verò Philosophiâ è centro, ut ipsa circà alias scientias moveatur, omnis illius essentia deturbata est; atque indè fit, ut neque mundi intellectualis ordo, neque particularium scientiarum salus consistere possit; indè fit, ut scientiarum particularium cultores, si de principiis solâ Philosophiâ cognoscendis agatur, sententiam plerumque scientiâ ipsâ indignam ferant; indè fit, ut præcepta eorum nullo interiori nexu inter se cohæreant; indè fit, ut omni doctrinæ suæ *casuisticam* illam formam addant, quâ receptâ nonnisi *Particularia* respiciunt, *Universalia* negligunt, mentemque enecant; indè fit, ut philosophiæ solumodò officium imponatur probandi ea, quæ à scientiis particularibus statuta sunt, quo facto omnis rerum divinarum et humanarum cognitio in cognitionem positivam, æterna in tempora manentem transeat, licet ipsi non rarò cum ratione nihil commune sit; indè denique fit, ut genus humanum in vincula intellectualia atque Censorum Inquisitorumque carceres conjectum ab ulterioribus progressibus detineatur. Amissâ itaque æstimatione et reverentiâ Philosophiæ suâ ipsius causâ debitâ, dijudicando eam ad sola utilitatem omnes reliquæ scientiæ depravantur, quo demùm universalis illa barbaries oritur, cui nihil sanctum est, quæ nullum ergà Philosophiam officium agnoscit, nisi quod ab externâ necessitate atque à legibus arbitrariis proficiscitur. Quod quale sit, ut intelligatis, ad dicta sequentia adhùc addenda sunt. Multi nimirùm sunt, qui studio philosophico eâ tantummodò ratione aliqua concedenda esse putant, quod statutis academicis atque civilibus convenit, aliquas saltèm philosophorum lectiones frequentare. Quibus de hominibus autem

quid dicam, vix habeo. Acti enim vi externâ ad ea, quæ vera, bona, justa, pulchra atque divina sunt, quomodo eorum sensione profundiori repleri poterunt? Ejus autem generis hominibus amicâ mente suadeam necessum est, faciant nimirùm sinè morâ, quod cessante vi externâ facere non negligerent. Quod si enim ullâ unquam in re vi externè adhibitâ nihil proficitur, in res philosophicas idem sensu eminentissimo valet.

Jàm verò dixerit aliquis : Quid ergo? Philosophia nullâ omninò utilitate gavisa est? Ad hanc autem quæstionem responsum admodùm facile est. Non nego, Philosophiæ suam esse utilitatem, quin imò rect defenditur, omnium eam scientiarum utilissimam esse. Quis verò negare ausus erit, rei cujuscunque utilitatem perspici non posse, nisi anteà cognita sit? Quomodò ergò ad Philosophiæ studium cum reverentiâ et amore accedere poteris, si amor ipse à præsenti et palpabili utilitate ejus originem deducere debet? Aut negligatur itaquè Philosophiæ studium, aut naturali quodam amore scientiæ absquè ulteriori respectu inchoetur, necessum est. Quod quale sit, eorum exemplo probatur, qui solâ utilitate rei moti ad Philosophorum pedes auscultaturi se conferunt. Progrediente enim philosopho ab imis cognoscendi principiis primò justo longioribus introductionibus à fine proposito magistri vel inscitiâ vel morosâ pertinaciâ et libidine retineri se dicunt; mox nugis justo majoris habitis inutile sibi vani laboris onus imponi queruntur; denique nihil conspicientes, quod cum scientiâ particulari conjunctum sit, Philosophiæ terga vertunt, præcipuè si audire contigerit magnum gravemque virum nobiliora illis non sentientem. Cæterùm iis omnibus, qui Philosophiæ præstantiam ex solâ utilitate dijudicare solent, vix alia dicere in præsentiâ possum, quàm quæ alio sub respectu in bibliis sacris monentur : *Quærite primùm regnum coelorum, reliqua vobis dabuntur.* (*)

Cum reverentiâ Philosophiæ debitâ porrò intimè conjuncta est animi illa sensio, vi cujus omnem scientiam à Philosophiâ petendam esse, persuasum habetis adeòque Philosophiæ studium ità aggrediendum censetis, ut nihil omninò vos *scire* credatis. Scire enim eum duntaxàt dicimus, qui relationes reales

(*) Evang. Matth. 6, 33.

repræsentationum suarum ad objecta repræsentationibus respondentia novit. Relationes reales autem repræsentationum nostrarum nonnisi principiis universalibus et necessariis à solâ Ratione petendis noscimus. Principiorum verò scientia Philosophia est. Quod si ergò quis Philosophiæ limina transgressurus aliquid se scire diceret, Philosophiam, quam quærit, jàm in amplexu teneret, quâ re secum ipso in contradictione versaretur, quod cum Ratione sanâ consistere non posset. Indè unum illud sapientissimum, quo Socrates Philosophiæ studium consumavit, quod nimirùm sciret, nihil se scire, clarissimis lucidisque characteribus scriptum oculis vestris obversetur, necessum est, dùm Philosophiæ limina transgredi paratis. Ii enim soli justâ cum reverentiâ ad Philosophiam accedere poterunt, qui eâ cum modestiâ appropinquant, quæ in sene perfecto laudatur, à viro juvene autem maximo jure exigitur. Quod quale sit, ut intelligatis, præ reliquis tenendum est animo, quamcunque scientiam suprema veritatis absolutæ principia in Philosophiâ reperire, Philosophiam autem solam veritatis principia in se habere. Quæ cum ità sint, quomodò ad Philosophiam nobis incognitam aliquam scientiam afferre possumus? Habebit forsàn unus et alter, quod modò peto, ridiculum. Multa enim jàm in scholis publicis percepistis; multa jàm libris perlectis edocti estis; neque nego, ea omnia maximi momenti esse. Atqui tamen concedendum est, cuncta, quæ institutione vobis datâ nôstis, traditione aliorum, quorum auctoritati fidem habere debueratis, percepisse. Omnis ergò scientia vestra nonnisi traditione nititur, adeòque nulla est, nisi principiis percipiendis confirmetur. Quâ de re si quis persuasum non habeat, in quantas non raró ærumnas devenit? Indè præmatura illa judicia, quibus non raró omnis in rebus philosophicis progressus retardatur. Ut primùm enim aliqua nos scire putamus, reliquarum cognitionum dijudicandarum principium, quod quærendum est, præsens habetur, cujus cum consensu eorum, quæ ulteriùs nobis proponuntur, veritas firma stat atque cadit. Jàm verò inverso omnium rerum ordine philosophi sententiam aut laudamus, aut vituperamus, perversis illis rationibus nixi, quæ sic dictis *præjudiciis* (*) originem debent.

(*) Conf. Recherches sur l'entendement humain, par Thomas Reid., à Amsterdam, 1768 pag. 12.

Receptis autèm præjudiciis res eo sanè devenit, ut juvenes magistrum doceant, quid sit docendum. Justo acerbiora forsàn modò dicta multis vestrum videbuntur. Utrùm autem vobis dicta sint, à futuro dependet tempore. Meum erat, ea, quæ in aliis expertus sum, monere, ut aliorum edocti exemplo sapientiores evaderetis.

Dixerit aliquis : Quid ergò? Omnes nos Philosophiæ demus? Servitute intellectuali pressi omnem scientiam illi debeamus, necesse est? Talia autèm dicendo, nihil ferè dici, quæ modò dicturus sum, probabunt. Ut nimirùm modestiâ duce, nihil vos scire persuasum habentes ad veram scientiam perveniatis, *propriâ* præ reliquis animi *activitate* vobis opus est. Quod si enim Philosophia principiorum scientia est, circà ea versatur, quæ sensibus percipi non possunt adeòque è proprio animi fonte haurienda sunt. Quomodò verò è proprio animo quis haurire poterit, si omnem cognitionem philosophicam ab aliorum traditionibus benevolis petendam putat? Oculis intellectualibus leges æternas, quibus ratio regitur, consideremus, necessum est. Sed contemplatio animi interna indè necessaria talis esse non potest, ut alii vices nostras suppleant; propriam vim propriamque activitatem postulat, quâ si quis caruerit, nunquàm ad philosophicam cognitionem perveniet, quippè quæ iis constituitur, quæ ipsi ex intimis animi nostri latibulis produximus atque in proprio fundo coluimus.

Resolvitur indè quæstio quàm sæpissimè agitata : Utrùm Philosophia doceri possit, nec-ne? Quod si enim de doctrinâ sermo sit propriam activitatem excludente, in quâ percipiendâ et colendâ præter receptivitatem discipulorum atque præter facultatem percepta diu et benè retinendi, retentaque quovis tempore reproducendi nihil ampliùs desideratur, asserendum utique est, Philosophiam doceri non posse. Namque divinarum humanarumque rerum scientia nonnisi libero et independente facultatum intellectualium usu colenda sublimius quoddam atque nobilius organum, propriâ non alienâ vi motum requirit. Rectè itaque statuitur, philosophum neminem esse posse, qui non ad eum perfectionis gradum pervenit, ut ipse cognitionis suæ auctor esse possit.

Quod si verò doctrina propriam animi activitatem non excludat ità quidem, ut ille, qui principia Philosophiæ ab aliis tradita accipit, in proprium saltem

succum et sanguinem convertat adeòque alter eorum auctor salutari queat, de Philosophiâ defendendum est, eam disci atque doceri posse. Indè patet, quo sensu sumendum sit, si antiquiores philosophi rerum divinarum humanarumque scientiam disciplinam doctrinamque nominant. Disciplinæ enim nomen à discendo, doctrinæ verò à docendo derivandum est; utrumque autem quâvis ætate eo sensu sumebatur, ut propriam discentium atque doctorum activitatem non excluderet, quo fiebat, ut tritum illud « *Jurare in verba magistri* » nullâ in scientiâ magis peregrinum esset, quàm in Philosophiâ, solâ propriâ animi activitate producendâ et comprehendendâ. Quis enim est, qui antiquum illud Pythagoræorum « αυτοσ εφα » laudaverit? (*)

Benè novi, propriam animi activitatem paucissimis esse probatam. Laborem enim laborisque amorem exigit; laboris amori autem laboris fuga plerumque obversatur. Verum tamen si cui antiquum illud dictum :

Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit!

proponendum est, vobis ut aureis literis scriptum proponam, officio mihi sanctissimo teneor. Quis enim est, qui exclusâ è Philosophiæ studio propriâ animi activitate omnem illius finem consequi se posse, credat? Non enim in Philosophiâ id solummodò agitur, ut aliquas formulas memoriæ tradamus; multò potiùs eadem omnis in eo est, ut exerceantur animi vires, quo fit, ut ad omnes vitæ humanæ functiones habiles evadamus eoque facultatum intellectualium vigore gaudeamus, sine quo neque rebus domesticis, neque rebus publicis, neque generis humani necessitatibus satisfacere possumus, sine quo nulla res benè et fortiter geritur. Genus debile illud, quod oblatis ab aliis bonis insidere, iisque perfrui amat, nonnisi fruges consumere natum est. Familia autem, respublica et omnis humanitas viros fortes, validos versatosque animo et intellectu sibi exoptant. Quis erat, qui cunctas scientias ad summum perfectionis gradum perduxit, qui civitatem benè ordinavit, qui lumen in antiquorum temporum noctem mediæque ætatis caliginem induxit, qui liberaliores artes promovit,

(*) Conf. Cicero De Nat. Deor. 1. 5.

qui commercium hominum mirum in modum auxit? Annè ii, qui activitatis propriæ pertæsi pulvinaribusque insidentes otio indecoro perfruebantur, sivè ii, qui magistrorum pedibus accubantes auscultantesque, quæ tradita acceperant, mente obtusâ recipiebant, aliorum inventis contenti? Annè Bacones, Cartesii, Leibnizii, Kantii et reliqua nobilissimorum virorum immortalis cohors, qui sibi persuasum habebant, propriâ activitate opus esse, ut Philosophia cumque Philosophiâ reliquæ scientiæ colerentur; qui nihil recipiendum esse ab aliis putabant, quin nova germina saltem indè producerentur; qui deniquè unâ mente omnes in eo erant, ut animo eam vim adderent, quam scientiarum humanitatisque salus postulat? — Vis autem quibus tandem mediis augetur? — Exercitio et continuâ activitate!

Quod quale sit et quantum, antiquorum temporum philosophi benè sensisse mihi videntur. Novimus, maximi ingenii viros plurium annorum spatio Socrate magistro usos fuisse. Ejusdem autem præcepta, si rerum philosophicarum scriptoribus fides habenda est, admodum simplicia erant, ad minimum reducenda numerum, adeòque brevi tempore absolvenda, si de percipiendis illis solummodò anxii fuissent. Sed majora meherclè divini illius hominis consuetudine eosdem quæsivisse, persuasum mihi habeo, nimirùm animi exercitium propriâ activitate solâ possibile. Quod quale fuerit τηχνη η μαιευτικη sic dicta probat, quâ Socrates usus omnis in eo versatus est, ut cognitiones discipulis non traderet, sed eas tantummodò ex interiori animo provocaret, quod sinè propriâ discentium activitate efficere non potuisset.

Eodem modo Plato præclarissimus ille Socratis discipulus rem philosophicam tractavit, quippè qui propriam suorum activitatem tanti habuit, ut methodum socraticam non solùm in academiâ, sed etiam in conscribendis operibus philosophicis adhiberet. Quâ enim ratione motus dialogos illos nondùm satis laudatos composuit? Eum forsan in finem, ut philosophicis præceptis Poeseos venustatem et florem adderet? Multi quidèm affirmativè ad hanc quæstionem respondendum sibi putabant. Tali verò modo accidentali admodùm ratione motus

(*) Conf. Geist der Socratik von Fr. M. Vierthaler. Salzburg 1793. pag. 57.

infinitâ illâ arte, quæ ipsi innata quodammodo erat, opera philosophica perficiens usus esset. Philosopho enim præ reliquis certitudo procreanda curæ est, quâ re fiebat, ut Spinoza, Wolfius, Kantius mathematicam methodum in Philosophiam traducere studerent. Sed sublimiora præterea anhelâsse videtur Plato lectorem continuis quæstionibus ad eandem animi activitatem coacturus, ad quam Academiæ discipulos præsentes Socratis adinstar cogere solebat. (*) Nos autem in omnibus Græcorum præstantiam aut imitantes, aut superare studentes nonnè eadem à Philosophiæ tironibus exigamus, quæ Græci optimo jure ab iis exigere solebant?

Dixerit forsan aliquis : Non eadem nobis atque Græcis possibilia esse; aliam docendi atque discendi methodum ex immutato rerum statu progredi! Sed facilè patet, ad merè accidentalia tantummodò respicientes talia proferre posse. — Omnis docendi et discendi methodus propriam animi activitatem excludens nulla est. Verum est, academiam platonicam nostris temporibus vix possibilem esse. Indè autem nondùm sequitur, recipiendam ergò esse diram illam philosophandi methodum, quæ nostrâ ætate Philosophiæ scholasticæ nomine omnium prudentium vituperio exposita est. Postulant omnes, qui sublimiori culturâ gaudent, *liberalis* sic dicta ut adhibeatur methodus. Eadem autem nulla sanè est, si in eo ponatur, ut in tradendis scientiis omnem scholæ rigorem abigat, laboris fugam promoveat, eaque, quæ proprio studio acquirenda sunt, placentis dulcibus affigat, quo minori cum tædio recipiantur ab iis, qui nullius vigoris capaces sunt. Si adhibenda est methodus *verè* liberalis, talis sit, necessum est, ut in omni doctrinâ facultatum animi nostri exercitio plurimùm tribuatur; atque indè patet, quid ætas nostra à Philosophiæ tironibus exspectare possit et debeat, et quo jure ipse ab iisdem propriam animi activitatem petierim.

Ad ea, quæ modò postulavi aliud non minoris momenti petitum accedit : Ne nimirùm Philosophiæ tiro de philosophicæ cognitionis possibilitate statim ab initio desperet! Multos quidem sequenti modo verba facere audio : « Philosophia scientia est experientiæ limites transgrediens, quæ in eorum præci-

(*) Conf. Schleiermachers Plato. I Band. die Einleitung.

« puè inquisitione versata est, quibus omnis experientiæ possibilitas explicatum « habet, quæ ergò omni experientiâ priora sunt. Homo autem arctissimis « limitibus circumscriptum ens est ad sensuum testimonia restrictum. Verum « quidem est, abstractione nos ad ideas generales devenire. Sed ideæ generales, « quia tantummodò abstractæ sunt, plura non continent, quàm quæ sensibus « nobis oblata sunt, quod quale sit, antiquum illud dictum probat : Quod non « est in sensu, non est in intellectu! Ex sensilibus itaquè omnis cognitio de- « ducenda est. Jàm verò cùm sensus omnes fallaces sunt, certè nullam nobis « sinceram probare possunt experientiam. (*) Quæ cum ità sint, mortales « Philosophiæ operam navantes metam sibi posuerunt, æterno labore non « consequendam. Si historiam testem quæramus, respondet : Jàm plurium mil- « lium annorum spatio doctissima acutissimaque ingenia Philosophiæ culturâ « oleum et operam perdidisse; enato novo systemate antiquius destructum; « circùm agitatam in circulo humanam mentem de errore ad errores continuò « delatam esse; quin imò maximorum philosophorum merita nulla alia fuisse, « quàm quæ eo nitantur, quod probârint, antecessores ad unum omnes errâsse. « Mittamus itaquè Philosophiam! Quis enim Sisyphi infandum laborem sibi « imponet Sisyphi carens culpâ? »

Talia, quin imò longè acerbiora multos proferre audio tristem et longinquam, sed antiquam de *Vanitate scientiarum* cantilenam repetentes aut quod Philosophiam non noscunt, aut quod organo ad eandem scientiam colendam necessario carent, aut quod aliis præjudiciis seducti Philosophiæ præcepta horrent. Sed facilè patet, ejusmodi dicta nonnisi ab iis proferri posse, qui omni vi et vigore animi privati propriâ debilitate ea æstimant, quæ possibilia atque impossibilia sunt. Debilibus enim viris id præ reliquis proprium esse videmus, quod ea, quæ ardua sunt, è longinquo adspiciant quidem, sed manum movere non audeant, ut ea consequantur. Nihil autem ità arduum est, quod vir fortis et validus consequi se posse desperet; multò potiùs persuasum sibi habet, nullum investigandi veri modum esse, nisi invenerit; quærendi defatigationem

(*) Henrici Cornelii Agrippæ ab Nettesheym operum Pars posterior pag. 25. Lugduni 1600,

autem turpem habendam, cùm id, quod quæritur, pulcherrimum sit. (*)

Nullas autem eorum sermocinationes esse, qui de Philosophiæ construendæ possibilitate dubitant: frustrà ergò juvenum virorum animos à vesanis hominibus non incepto opere ad desperationem perduci, luce mihi clarius esse videtur. Ponamus enim, O. A. ponamus, scientiam, quam philosophus omnis anhelat eo in loco versatam, ad quem ascendere concessum illi non est, sciat tamen necessum est, philosophicam cognitionem homini possibilem non esse. Ut autem *sciat*, impossibilitatis cognitio rationibus fundata sit, oportet. Rationes impossibilitatis philosophicæ cognitionis autem nonnisi in naturâ intellectuali hominis positæ esse possunt. Ut ergò eas cognoscamus, in naturam intellectualem hominis inquirendum nobis est. Inquirentes verò in hominis naturam eum in finem, ut videamus, quænam ea sint, quæ cognoscere potest, et quorum nulla ipsi cognitio possibilis est, deniquè ad eandem scientiam delatos nos videbimus, quam Philosophiam nominamus. (**) Atque hoc tantum est, ut omnium omninò temporum scepticis hominibus, qui statuunt, hominem nullam cognitionem absolutè veram adeòque philosophicam consequi posse, cohibendum ergò judicium esse, jure obmoveri possit, eos in contradictione versari, eò quòd assertum, quo mortalium ingenia à Philosophiâ retrahere student, aut verum, aut falsum est. Si verum est, aliquid tamen cognoscimus, cujus veritas extra omne dubium versatur; si verò falsum est, cui aures præbeamus, dignum sanè non videtur. (***)

Sed graviora hoc loco silentio prætereunda non sunt. Ponamus, cognitionem philosophicam infinitam et talem esse, qualem homo terrenæ vitæ in tempore nullo studio consequi, nullo labore labore comprehendere potest, quid tandem indè sequitur? Annè eo posito omnis omninò studii philosophici labor vanus et irritus

---

(*) Cicero: De finibus Bon. 1. 1. Conf. Spinoza: Ethica P. V. Prop. XLII. Schol. Conf. similiter: Recherches sur l'entendement humain, par Th. Reid, pag. 23.

(**) Conf. Kant, Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik. Riga 1783, pag. 4 et 38. Fries, Neue Kritik der Vernunft. I. B. Heidelberg 1807, pag. XXXIX.

(***) Conf. Klein Beytræge zum Studium der Philosophie als Wissenschaft des All. Wurzburg 1805, pag. 10.

esset? Exercemus saltem infinitum illud comprehensuri vires animi nostri, quod præ reliquis in philosophici studii finibus positum est. Quis est, qui virtutis exercitium vituperandum putavit, eò quòd perfectissima virtus ad ea pertinet, quæ nullus adhùc mortalium consecutus est? — Magna, imò maxima à nobis vita postulat, ut autem *maxima* præstare possimus, in *maximis* vires exerceantur, necessum est.

Sed præclarissimo numinis divini beneficio studia eorum, qui Philosophiæ nomen dant, vana non sunt. Rationi enim, quâ homo ornatus numinis divini ad similitudinem elevatus est, quâ sublimiori in gradu versatur omnibus reliquis animantibus, quâ paulò minor dicitur angelis, rationi, inquam, innixus ad cognitionem absolutam eorum, quæ sunt et fiunt, esse et fieri debent, ascendere potest. Ratio enim ea facultas animi nostri est, quæ cuncta ad unum et absolutè verum principium reducit, à quo reliqua cognitio deducenda est, in quo terminatur. Confidendum ergò rationi est! (*) Præsentem videmus Mathematicam, quæ ad eum certitudinis gradum pervenit, ut in mathematicorum republicâ dubia ulteriora in exilium missa videantur. (**) Ut autem omittam, Mathematicam Philosophiæ partem esse: ut omittam, quod historia testis probat, eandem lentissimo progressu ad perfectionem pervenisse, extrà omne dubium versatur, mentem humanam, quod unâ ex parte perfectum est (uti facto indubio confirmatur), alterâ sanè imperfectum relinquere non posse. Quâ de re si persuasum habuerimus, quibus de Philosophiæ impossibilitate sermocinationibus, quibus divinæ hujus scientiæ probris ab ejus studio avelli poterimus?

Devenio jàm ad partem gravissimam eorum, de quibus in limine Philosophiæ mihi dicendum putavi, antequàm vos in sanctuarium ejus introducam. Ut nimirùm Philosophiæ alumnus omni, quâ digna est, reverentiâ et amore scientiam amplissimam prosequatur, omnia abigat, necessum est, præjudicia è conviciis orta, quæ à minùs expertis, malâve mente præditis hominibus dirissimo cum vituperio in eam non rarò proferri solent. Præjudicia autem, quibus Philosophia

(*) Conf. Kleins Verstandeslehre. Wurzburg 1817, pag. 184 §. 225.

(**) Conf. Kant, Kritik der reinen Vernunft. Frankfurt und Leipzig 1791, Vorrede, pag. X.

non parùm vexatur, quod attinet, persuasum quidem habeo, ad unum omnia ipso Philosophiæ intuitu per se evanitura, eò quòd eam rigorosè explicando ipso facto in nihilum rediguntur.

Quæ cùm ità sint, alienum forsàn hoc loco eò pluribus videbitur, Philosophiæ causam dicere, quò major eorum numerus est, qui veterem illam opinionem non probandam putant, (*) quâ varia illa et innumera scientiarum encomia prodierunt, quibus unus quisque eas artes atque disciplinas, in quibus jàm diuturno exercitio ingenii sui vires exacuit, non minùs ornato, quàm longo sermone nititur omnibus anteferre, et vel suprà cœlos ipsos extollere. Sed aliud est Panegyristam agere; aliud rei nobilissimæ causam dicere. Illud omitti sinè detrimento potest; hoc fiat necessum est. Quod si enim, qualis hæc res sit, seriò mecum considero, clarum redditur, plurium opiniones, – gravium sic dictorum virorum auctoritatem, – eorumque, quos prudentiores habemus, perversa dicta maximo in juvenilia ingenia influxu gavisa esse. Quâ re fit, ut aliqua saltem ad consueta magis Philosophiæ vituperia in limine ejus non possim non respondere.

Primò autem et præ reliquis Philosophiam scientiarum philologicarum, historicarum atque descriptivarum studio oppositam esse, maximo cum vituperio defendunt. Ad eas autem in specie *Philologiam*, *Historiam*, et *Historiam naturalem* referunt (**). Dicunt enim : « Philosophiam viros adolescentes ad « speculationes inanes sollicitare, experientiæ contemtores efficere, eòque rem « perducere, ut nihil verum, nihil utile putent, quod somniis philosophicis « non conveniat. » (***)

Quàm multa autem talia dicentibus obmovenda sunt? Quis enim est, qui somnia ægroti animi ad præcepta Philosophiæ referat? Quis est, qui doctrinam

(*) Conf. Henrici Corn. Agrippæ de vanitate scientiarum declamatio. Cap. I.

(**) Vid. Krug Versuch einer systematischen Encyclopædie der Wissenschaften, Wittemberg und Leipzig, 1796.

(***) Mélanges de Littérature, d'Histoire et de Philosophie, par d'Alembert, Amsterdam, 1767, tome V, pag. 472.

Philosophiæ nomine dignam putet, quæ solummodò in eo est, ut mundum realem transcendens ad inanes quæstiones nos compellat? — Præterita sunt tempora, quibus subditicia Philosophia sannionum cucullâ ornata quæstiones movere solebat : An porcus, qui ad venalitium agitur, ab homine, an à funiculo teneatur? An capucium emerit, qui cappam integram comparavit? Utrùm, qui pingues mortui sunt, pingues sint resurrecturi? Utrùm omnes angeli corpore præditi sint? Quâ ratione mulier è costâ dormientis masculi facta sit? Quâ linguâ angeli loquantur? Quot dœmones acus apici insidere queant? (*) Præterita sunt tempora, quibus omnis Philosophia ad inanes formulas restricta erat, nullam aliam rem in examen vocans, quàm bArbArA illa maximo Philosophiæ malo multùm celebrata. (**) Postquàm enim eversâ medii ævi barbarie Græcorum ingenia in terram rediissent, Laurentius Valla, Rudolphus Agricola, Erasmus, Vives, Faber, Nizolius, eorumque successores, quorum nomina immortalitate ornata sunt, omni studio laborabant, ut oblivionis velo ea celarent, quibus Philosophia mirum in modum deformis evaserat. Quis ergò est, qui ea, quæ in antiquiora tempora cadunt, recentiori Philosophiæ crimini dare ausus sit, quippè quæ omnis in eo est, ut nos leges doceat, quibus mundus realis regitur.

Eadem tantùm abest, ut scientiis historicis, philologicis et descriptivis obversetur, ut multò potiùs eas confirmet, augeat atque ornet. Quid dicam de *Historiâ*? Nonnè ætate nostrâ ad summum perfectionis gradum eo pervenit, quod relictâ medii ævi methodo merè chronologicâ synchronisticam illam recepit artem, quæ non oblita temporum cuncta, quæ facta sunt, in classes suas distribuit, secundùm causarum et effectuum relationes enarrat atque in animi sensa interiora inquirit, quibus agentes movebantur? Atqui ea omnia philosophicæ culturæ debemus! Tribus enim rebus Historia ad perfectionem perducitur, primò : Ut noscamus methodum historicam legitimam; deindè ut quæramus facta in relationibus antiquioribus atque in scriniorum publicorum pulvere recondita; deniquè : Ut reperta Criticæ subjiciamus eaque, quæ principiis rigorosis vera et

(*) Conf. Geschichte der Philosophie von Tennemann. Leipzig 1810. VIII, p. 58. et 236.
(**) Conf. Handbuch der Logik von Andreas Metz. Wurzburg 1816, pag. 106.

narratione digna reperiuntur, ad causarum et effectuum principia conjungamus conjunctaque cum eloquentiâ referamus cum in finem, ut videamus, quatenùs id, quod verè humanum est, in humanitatis historiâ omni conspicuum evaserit? Methodum autem historia recentior Philosophiæ omnem debet. Facta quærendi opus quidem ancillare esse videtur. Critices autem historicæ labor omnis Philosophiæ principiis regitur. Quis enim est, qui nos doceat, quid verè humanum sit? quis est, qui nos de nexu causali factorum certiores reddat? Quis est, qui varios animi humani fines, adpetitiones et passiones perscrutatur? Quis est, qui omnem comparationem certâ regulâ dirigit? Indè sequitur, Philosophiam in omni historiâ perfectiori α quodammodo et ω esse. Quâ ratione ergò Philosophia Historiæ studio opposita esse potest? (*)

Quod si verò de *Philologiâ* quærere volueritis, eadem mihi respondenda sunt. Omnis enim Philologiæ prima perfectio *Grammaticæ*, quam *universalem* sive *philosophicam* dicunt, innititur. Cui autèm eandem scientiam præclarissimam debemus? Philologis an Philosophis? Illi particularium quidem linguarum regulas duce Grammaticâ universali ad casuum pluralitatem diurno et gravi labore multâque cum patientiâ deducunt; hi verò principia universalia jure ad se perti-

---

(*) Præclarissima sané Philosophorum recentiorum de Historiographiâ et Historiâ merita sunt. Quod quàm verè dictum sit, sequentia scripta probant :

De la manière d'écrire l'histoire, par l'abbé de Mably. Paris 1783.

Ancillon : Considérations sur la Philosophie de l'histoire. Berl. Lagarde 1796.

Iman. Kantii, Idea Historiæ universalis respectu cosmopolitico. vid. Opera ejus latinè versa à Fr. Gottl. Born. vol. IV. pag. 200 et seq.

Frid. Schiller : Was heist und zu welckem Zwecke studirt man Universalgeschichte? Antrittsrede. Jena. 1790.

K. W. F. Breyer über den Begriff der Universalgeschichte. Landshut 1805.

Ludens Einleitung zu Herders Ideen einer Gesch. der Menschheit.

Über Erkenntniss und Kunst in der Geschichte von Fr. Wilhelm Tittmann. Dresden 1817.

Dresch : Nebersicht der allgemeinen politischen Geschichte insbesondere Europens. Weimar 1814. Die Vorrede.

Creutzer : die historische Kunst der Griechen in ihrer Enstehung und Fortbildung. Leipzig 1803.

Borgeri disputatio de historiâ pragmaticâ.

nere putant. (*) Quid dicam de *Criticâ* et *Hermeneuticâ*, quam Philologi saltem logicis principiis inædificant?

Quod si verò quis sublimiorem Philologiæ ideam conceperit, majora eidem scientiæ tribuenda, non dubitabit, quibus in intimam cum Philosophiâ relationem deveniet. Licet enim philologus, qui in eo tantummodò est, ut linguarum particularium regulas auctorumque classicorum sensum exponat, in educandâ juventute eosdem jàm prosequatur fines, quos philosophus, vi quorum diversarum animi nostri facultatum vim et vigorem augere studet, (**) tamen promovens linguarum, præcipuè antiquarum studium atque exponens diversorum operum sensum ad ultimum id perficere studet, ut demonstret, quomodò diversæ gentes, ea, quæ verè humana sunt, omni vitâ intellectuali expresserint? Quomodo ea, quæ ab iis producta sunt, ad vitam intellectualem aliarum gentium ipsis antiquiorum, æqualium et posteriorum sese habeant? Quâ ratione autem ad hasce quæstiones philologus non philosophus respondere possit, nullus comprehendo ità quidem, ut aridam illam philologiam nunquàm juventuti acceptam fore, rècté dicatur, quamdiù philologi Philosophiam amicam non salutant (***).

Qualia tandem et quanta Philosophiæ in historiam naturalem scientiasque physicas beneficia sint, monere vix necessum est. Ea enim, quæ in rerum natura sunt,

---

(*) Conf. Fullebornii Encyclop. philolog., Vratislaviæ 1805, pag. 10. Sev. Vater übersicht des neusten, was für Philos. der Sprache in Teutschl. gethan worden. 1799, pag. 8-19.

Nota: Recentiores philosophos optimè de Grammaticâ philosophicâ meritos esse, sequentia probant opera: Élémens d'Idéologie. Sec. part. Grammaire, par M. Destutt Comte de Tracy. Paris 1817.

Bernhardis allgemeine Sprachlehre. Berlin bey Froehlich. 1803.

Vaters Versuch einer allgemeinen Sprachlehre, etc. Halle 1801.

Asts Grundlinien der Grammatik, Hermeneutik und Kritik. Landshut. Kruell 1808.

Figurarum linguæ cum formis cogitandi comparatio. Dissertatio inauguralis auctore Fr. Aug. Calker. Jenæ 1816.

Ut omittam ea, quæ à clar. viris Jac. Harris, Degerando, du Marsais, Meiner, Kinker et aliis eâdem in re perfecta sunt.

(**) Conf. Schelling: Vorlesungen über die Methode des academischen Studium. Tubingen 1803, pag. 72. Niedhammer: Streit des Humanismus und Philanthropinismus. Jena 1808.

(***) Conf. Ast: Grundriss der Philologie. Landshut 1808.

solis oculis adhibitisque oculorum armis penitùs non cognoscuntur. Experientia probat, eum, qui prædivitibus collectionibus, nullâ verò philosophicâ cognitione adjutus est, præter nomina, notas distinctivas, et usum objectorum naturalium nihil cognoscere; adeòque non omnia edoceri, quorum cognitionem mens humana adpetit. Duplex enim rerum principium est, externum et internum. Internum autem tale se commonstrat, ut nullâ oculorum acie, nullâ machinâ opticâ, nullâ resolutione partium, quibus corpora composita sunt, deprehendi queat. Principium ergò internum eorum, quæ sunt, quale sit, nullo labore perspicimus, nisi Philosophiam ducem sumamus. Quod quale sit, ex eo præ reliquis colligitur, quod omnis historiæ naturalis studium Physiologiâ ad illud additâ completum evadit. (*) Sed mittamus modò dicta, descendamus ad opiniones eorum, qui minima de Philosophiâ sentiunt, assumamus Philosophiæ ideam, vi cujus ad Logicam solam atque ad Metaphysicam sic dictam restricta est! Quis verò contradicere ausus erit, Philosophiam nihilo tamen minùs benefico in historiam naturalem influxu gaudere? Quo enim, sic quæro, quo tandem

(*) *Nota.* Non possum non aliqua hoc loco proferre, quæ ad libellum præterito anno sub titulo : Vues sur l'enseignement de la Philosophie; par Georges-Gabriel Mauger, à Paris 1818 præmissâque sententiâ : *Rectè sapere*, editum relatum habent. Defendit nimirùm autor, Philosophiam cæterùm suò jure nullo sub respectu privans (vid. pag. 11-14) sequentia : « Comme « il existe dans l'univers deux grandes classes d'êtres distincts, les êtres corporels ou matériels, « et les êtres intelligens, de même il y a deux grandes classes de sciences différentes, les sciences « physiques, et les sciences intellectuelles ou morales. (vid. pag. 8) Quod ad hanc scientiarum divisionem attinet, utique eam concedere possumus. Quod si verò ulteriùs (pag. 10) statuit : « et « le cours d'études se termine par l'analyse de nos facultés intellectuelles et morales, etc.; c'est « l'objet de la *philosophie* proprement dite. » Philosophiæ ideam justam non solùm pervertit, sed etiam eandem scientiis physicis opponit. Philosophia enim sensu strictissimo non solùm mundum physicum, sed etiam intellectualem uno principio conjungat oportet, quo reperto ut conjuncta cum eo mundi physici et mundi intellectualis principia deducit. Uno sub respectu à recentioribus philosophis *Philosophia naturæ* (Natur Philosophie) altero sub respectu *Philosophia idealis* dicitur. (Conf. Hegel Encyclopædie der philosophischen Wissenschaften. Heidelberg 1817. 13 § 11 — et Philosophische Encyclopædie von Simon Erhard. Freyburg im Breisgau 1818 pag. 16 § 44.) Philosophiam tali modo considerantes, quomodò oppositio illa vetus locum habere potest, in quâ Philosophia cum scientiis physicis versatur? Quam clar. Mauger iis, quæ philosophiæ

modo ea omnia, quæ à vobis ex omni orbe terrarum collecta et congesta sunt, in suos ordines, in suas classes redigere poteritis, nisi Logicam ducem sumere placuerit, nisi à Metaphysicâ edocti fueritis, quomodò merè accidentalia ab essentialibus distinguenda sint? — Quod quale sit et quantum, benè sentiunt, qui infinitum illum ordinum atque classium numerum horrentes omnes in eo sunt, ut eum continuo labore minuant, atque historiæ naturali eam simplicitatem addant, quâ brevius mundi externi compendium nanciscimur, intellectus delectatur, memoria discentium mirum in modum juvatur.

Rebus autem ità constitutis, quo jure injustissimus mortalium defendere potest, Philosophiam scientiis historicis et descriptivis earumque studio obversatam esse? Quin imò ipsa Philosophia, nisi ad vesaniam deveniet, nunquàm obliviscetur, sibi ipsi partem historicam esse, cujus studio multùm juvetur, cujus culturâ nostris temporibus ne abstinere quidem possit; idem autem absque philologicis cognitionibus absolvendum non esse. Quod quale sit, Universitatis nostræ Augustissimus Fundator benè perpendit legem singularem ferens, vi cujus Philosophiæ tirones ad antiquarum linguarum studium seriò adigendi sunt. Eadem scientia nunquàm obliviscetur, unam eandemque legem esse, quâ mundus intellectualis et physicus et utriusque historia dirigatur; legem autem illam unam cognosci nonnisi ab eo posse, qui oculis ad mundum physicum atque ad historiam conversis facultatem divinam, in interiori animo nostro vigentem quærere decreverit. Atque indè clarius adhùc redditur, cur nostræ ætatis Philosophia omne Universum complectens neque historicis, neque descriptivis neque philologicis scientiis opposita dici queat. (*)

---

pag. 11 et 12 tribuit, non tollit. Quantum verò luminis in scientias physicas philosophiæ operâ illatum sit, historia philosophiæ *schellingianæ* sufficienter satis probat. Philosophiam naturæ autem, cujus auctor Schellingius à plurimis salutatur, jàm inde à Thalete usquè ad Pythagoram, à Newtonio, à Wolfio et deniquè à Kantio *eodem* sensu excultam esse, quin imò ejusdem scientiæ initia prima in Cosmogoniis antiquissimarum gentium reperiri, cum clar. Krugio vix defendere ausim. (Conf. Krug System der theoretischen Philosophie. Koenigsberg 1808. I Th. pag. 218.)

(*) Legatur ad ea, quæ hoc in capitulo dicta sunt: Schelling: Vorlesungen über die Methode des academischen Studiums. Tübingen. 1803, pag. 214, 243.

Sed longè graviora Philosophiæ maximo cum vituperio objiciunt defendentes secundò : studium ejus scientiis sic dictis *positivis* obversari; producere enim earum contemtum, eò quòd cuncta ad propriam meditationem, atque ad rationis humanæ usum referat. Ademto itaque scientiis positivis omni valore, earum amorem, cumque amore assiduitatem omnem in iis colendis destrui! — Sed qualis et quanta illa injustitia est, quâ convicia in Philosophiam proferunt veritati omninò contraria? Scientiæ positivæ, quas propterea sic nominamus, quia aut positivis propositionibus, historicè cognoscendis innituntur, aut saltem in adhibendis principiis suis cum republicâ, in quâ omnia ad legem positivam fiunt, in propinquiori relatione versantur, scientiæ, inquam, positivæ ad unam omnes eas veritates pertractant, quæ ab hominibus, qui communi societatis vinculo continentur remque publicam constituunt, pro diverso culturæ gradu ut tales agnoscuntur atque vi obligatoriâ donantur eum in finem, ut omnium in agendo consensus ille oriatur, sinè quo nulla amicorum, quid dicam, reliquorum hominum societas possibilis est. Jàm verò in *easdem* veritates et Philosophia inquirit solâ ratione ducta. Quod si jàm viderit philosophus, scientiarum positivarum cultores aut loco veritatis speciem illius propositam sibi habere inanesque pro Junone nubes captare, aut assertis suis rationi absolutè contradicere, nonnè Philosophia magistra optimum illis officium præstat, eosdem ad sanam mentem reducere studens? Sanè quicunque fuerint, veritatem, cui omnis humanitas maximum honorem habet, amant amatamque maximo cum studio prosequuntur. Talia autem ac tanta anhelantes quomodò Philosophiam, quæ omnis in eo est, ut aut veritatis dijudicandæ leges statuat, aut principia absolutè vera ex æterno illo codice, qui humanæ rationi singulari numinis divini beneficio inscriptus est, exponat, quomodò Philosophiam adversariorum numero sine immani crudelitate adjicere poterunt eandem rem omni sub respectu persequentem? (*)

Sed et alia res hoc loco silentio prætereunda non est, eò quòd cum modò dictis intimè cohæret. Statuta positiva eorum, ad quorum cognitionem plures homines

(*) Conf. Kants Streit der Facultæten. Koenigsberg 1798, pag. 111.

5

societatis vinculo conjuncti ascenderunt, expressiones sunt. Easdem immutabiles esse, nonnisi ii defendere poterunt, qui persuasum habent, humanitatem tristissimo fato subjectam aut in uno eodemque culturæ gradu continuò versatam esse debere, aut ad normam rationi et cognitioni perfectiori contrariam vivere posse. Quod si verò quis defendere ausus esset, genus humanum in eodem culturæ gradu versari, historia ipsa testis, falsam ejus opinionem esse, comprobaret. Exceptis Asiæ gentibus, quarum multæ maximo suo malo antiquissimis vinculis captæ tenebantur et adhùc tenentur : exceptis Turcarum cohortibus, qui plurium sæculorum spatio non mutantes mores atque leges in cultissimâ Europâ peregrini manebant et adhuc manent nulla ferè in orbe terrarum gens reperitur, cujus leges rerumque publicarum formæ unà cum culturâ aut ascendente aut descendente mutatæ non sint. Romanorum legislatio primis temporibus talis non erat, qualem nostra ætas admiratur; eadem paulatim missis legibus antiquioribus, consuetudine plerumque nixis à reliquis Europæ gentibus recepta est, aliisque tandem legibus non in unâ civitate cessit. Systema, quod æquè barbaro nomine feodale nominabant, progrediente cum tempore culturâ in systema transivit, vi cujus quilibet libertate gavisus nullam legem sequitur, quam aut ipse, aut alius ejus nomine non probavit. Similis reliquarum rerum humanarum institutorumque ipsis connexorum in omnibus civitatibus conditio erat. — Quod si verò quis statuere voluerit, hominem rationi et cognitioni perfectiori agendo contradicere posse, omnem ejus naturam perverteret defendens, possibilem esse gentem aut simulatoribus perversissimis compositam, aut ad eum servitutis gradum delapsam, ut intima animi sensa continuâ vilitate in pectore recludere possit. Quæ cum ità sint, præcepta positiva, à scientiis positivis exponenda perfici posse, rectè defendimus. Admisso autem eadem perfici posse, scientia quærenda nobis est, quæ perficiendorum principia subministrat, eamque Philosophiam saluto scientiarum positivarum sinceram amicam : Amicum enim eum nomino, qui in omnibus mecum cum benevolentiâ et caritate consentiens rem meam auget, non autem eum, qui eandem aut negligit, aut minuit.

Dixerit forsan aliquis : Historiam probare, non omnes gentes continuo progressu ad perfectionem gaudere : interire multas : plures ad perfectionis culmen

delatas gradum sistere, deniquè, cùm omnes res humanæ naturâ suâ finitæ sint, maximo suo malo descendere. Quod quo minùs fiat, solis legibus institutisque positivis impediri posse. Ut autem omittam, Philosophiam veram ea, quæ perfecta sunt, non horrere, facilè perspicitur absque philosophicâ cognitione videri non posse : utrùm ad eum perfectionis gradum devenerimus, quo ulterior progressus neque possibilis, neque utilis est? Quod eò gravius esse videtur, cùm in casu proposito nullâ viâ regressus securiùs præcavetur, quàm *interiori* persuasione de perfectione legum positivarum conceptâ, quæ Philosophiæ magistræ, non autem alieno arbitrio, legionibus, aliaque sentientium suppliciis debetur.

Quid ergo? sic dicunt porrò : Philosophiam legislatricem universalem salutemus? Philosophiæ continuarum seditionum jus concedamus? —- Sed utrumque sibi Philosophia nulla, nisi ad insaniam pervenerit, vindicat. Quod enim ad primum attinet, benè novit, quorum in manibus vis legislativa versetur, iisque debitum honorem habet; quod verò ad alterum spectat, persuasum habet, duplici modo rerum publicarum statum mutari posse, *vi* et *consilio communi*, sapientem autem verè talem rationis solius armis utendum sibi putare. (*).

Jam verò subliminiora adhùc quæro : Quænam tandem scientiarum positivarum est, cui Philosophia optima officia non præstet, cui ergò amantissimam fautricem se non commonstret? Referimus ad scientias positivas *Medicinam*, *Jurisprudentiam* et *Theologiam*. Mitto Theologiam, non quod credam, ipsi cum Philosophiâ nihil commune esse; sed quod alio loco eâdem de re mihi dicendum est.

Medicina autem omnis nostrâ saltem ætate philosophica esse videtur. (**) Quod si enim paucula illa excipias, quæ ad Medicinam forensem pertinent, nihil in eâ deprehendere poteris, quod positivorum statutorum indolem præ se ferat. Præterlapsa enim illa ætas est, quâ apud Ægyptios sacerdotum omnia sibi

---

(*) Conf. Kants Streit der Facultæten, pag. 131 — 160.

(**) Profundissimè hanc in rem inquirit clar. Schelling in opere : Vorlesungen über das acad. Studium, pag. 281; legantur similiter ea, quæ cl. Mauger in oratione : Vues sur l'enseignement de la Philosophie, etc. pag. 12 profert.

vindicans gens non solùm animarum, sed etiam corporum curam ad se pertinere putavit, omniumque morborum sanationem ad legem receptam procuravit ità quidem, ut medicus non servatâ lege in maximo vitæ discrimine versaretur, si quis ægrotus casu forsàn fortuito morbo succubuerit. (*) Majora jàm anhelamus ad principia non sinè philosophicâ inquisitione quæsita vitam servare utilius esse rati. Multa experientiæ medicus debet ægrotantibus auxilio veniens; plura autem à Philosophiâ doctrina accipit, quâ experientia necessariò dirigitur, si cœca esse noluerit. Novi, medicis raró in vitâ activâ alias conclusiones concessas esse præter eas, quæ Analogiâ et Inductione fiunt; non me fugit, multa eorum asserta hypothesibus inædificanda esse. Sed quales illa Analogia et Inductio, quales hypotheses erunt, quæ philosophicis principiis non respondent? Quid verò de scientiâ illâ omnis Medicinæ capite dicam, quam Physiologiam nominant? Nonnè recentiorum Philosophiæ et Medicinæ cultorum effatis ipsius Philosophiæ pars constitutiva nominata est? Quæ cùm ità sint, supervacaneum est ulteriùs probare, Philosophiam Medicinæ non adversari, eò quòd ipsi principia debet.

Philosophia ipsa autem plura à Medicinâ sivè potiùs à scientiis ad eam relatis nostrâ ætate jure exspectat. Novimus, manente antiquâ scientiarum divisione philosophicam illam scientiam, quam *Anthropologiam psychologicam* nominant, absquè Medicinæ præclarâ operâ coli non posse. (**) Uno enim eodemque principio anima atque corpus reguntur atque in intimâ relatione inter se versantur ità quidem, ut utriusque relatione μικροκοσμοσ ille oriatur, quem Hominem dicimus. (***) Quâ ergò viâ philosophus in psychologicis ad aliquam perfectionem perveniet, nisi somatologica principia noverit idem? Quod quale sit, non solùm antiquiores, sed etiam recentiores philosophi benè sentiebant, quod omissis recentissimis jàm Cartesius de homine disserens probat. Rebus

---

(*) Conf. Recherches philos. sur les Egypt. et les Chin., par M^{r}. de Pauw. Berlin, 1774. T. II, P. IV, pag. 212.

(**) Quod quale sit, historia Philosophiæ græcæ satis superque probat.

(***) Conf. Weber, Anthropologische Versüche. Heidelberg 1810, pag. 5.

ità consitutis, claudenda non est Philosophiæ Anthropologia quatenùs circà corpus humanum versatur, quod animæ tabernaculo esse dicitur, uti celeberrimus Baco putat; (*) multò potiùs et hoc ex capite dicendum est, Philosophiam intimâ cum Medicinâ in relatione versari, quæ nonnisi amicitiam producere potest.

Sed ponamus, Anthropologiam nonnisi psychologicè à philosophis excolendam esse, uti indè à Wolfio usquè ad nostra ferè tempora non pauci putabant, (**) quanta jàm officia Philosophia medico præstat? Non omnes morbi à corpore originem deducunt, plures animi perturbationes sunt in corpus mirum in modum influentes; (***) multa animi mala vice versâ corporis in eum influxu producuntur. Utroque in casu ad medicum confugimus salutem quærentes, qui si omnia morborum sanandorum medicamenta in pharmacopoliis reperturum se crediderit, consilio nostro non rarò frustratos nos videbimus. (****) Philosophia ergò omni sub respectu Medicinam confirmat atque juvat, quod tantum est, ut mihi persuasum habeam, Medicinam absquè philosophicâ congnitione traditam et perceptam nulloque ad scientiarum philosophicarum principia respectu habito in vitæ usus adhibitam non differre ab homicidiorum arte illâ, quæ urinarum judiciis, impostorum malis clamoribus, anicularumque et sagarum perversis artificiunculis justo longiori temporis spatio exerceri solita est.

Quid jàm dicam de Jurisprudentiâ, quam meliori vocabulo *juris scientiam* nominaremus? Proh numinis æterni fidem! Juris scientiæ Philosophia obversetur? Novi, scientiam illam leges exponere eorum, qui summam rerum tenent eorumque, qui illorum imperio cum libertate subsunt, mutuo consensu obligatoriâ vi gavisas (*****), easque omnes è codicibus nullâ immixtâ opinione à

(*) De Augm. Scient. Lib. IV. Cap. II.

(**) Conf. Wolf, Philos. rat. sive Logica, Francof. et Lipsiæ 1728. ff. 84.

(***) Conf. De viribus animi in corpus humanum. Commentatio inauguralis medica. Autore Thoma Augusto Ruland.

(****) Conf. Dorsch, Über die Ideenverbindung und die darauf gegründeten Seelenzustænde. Frankfurt. 1788, pag. 102. Mauchart, Repertorium und Bibliotheck für empirische Psychologie. II Band. Tubingen 1799, pag. 1 — 51.

(*****) Conf. OEuvres de Montesquieu, à Amsterdam, 1771. Tom. 1, Liv. I, Chap. III.

philosophicâ meditatione originem desumente historicè deducendas esse, eò quòd, contrarium si fiat, justitia, reipublicæ conservatrix facilè in merum arbitrium transiret. Jàm verò quæro : Nonnè legum sensus explicandus? Nonnè casus particulares legibus receptis subjiciendi sunt? Nonnè, si hisce in rebus aliquid peccemus, legum finis pervertitur earumque beneficia in maximum civium malum immutantur? Quis verò explicandi et subsumendi leges præter Philosophiam statuit? De Logicâ illâ naturali, de quâ multum non raró clamoris est, non loquor, eò quòd ridiculum esset inquirere : Utrùm melius sit, duce conscientiâ legum agendi agere, an sinè illâ conscientiâ (*)?

Sed sublimiori adhùc sub respectu in vitâ sic dictâ activâ, quæ omnis aut in aliorum dicendâ causâ, aut in ferendo judicio, legibus conformi versata est, jurisconsultus Philosophiæ præceptis juvatur. Propositâ enim de crimine dijudicando quæstione, factis solis, quid juris sit, non semper cognoscimus : respiciendæ non raró, imò semper animi affectiones, à quibus crimen originem deducit, quarum influxu omne quodammodo arbitrium liberum, omne judicium tollitur. Quarum naturam et vim si quis non noscat, quomodò judex justitiam exercere potest? Sed affectiones animi quales sint et quid efficiant, Philosophiâ magistrâ discimus. Indè judex non philosophus furem amore liberorum factum, homicidamque irâ et furore extrà se raptum eodem modo ad supplicium dabit, quo diabolicos legum contemtores, qui adversùs omnem humanitatem sanâ mente et seriâ meditatione bellum movent. Factum enim idem propositum est, licet animus, cui originem debet, ità diversùs sit, ut hi ad legum rigorem tractandi, illius generis homines aut in nosocomium aut ad presbyterum mittendi sint. Leges quales sint, in jure criminali facilè comprehenditur; usus legitimus autem omnium difficillimus est (**).

Sed leges ipsas cuinam debemus? Oriantur enim oportet, antequàm vim obligatoriam nanciscantur. Jàm verò quæro : Utrùm legum latarum historia homines illos solâ memoriâ valentes, quâ ab aliis sibi tradita circumferunt, primos

---

(*) Conf. Cicero de fin. Bonorum III, 21.

(**) Conf. Mauchart : Allgemeines Repertorium fur empirische Psychologie. Tubingen 1799.

legislatores nominet? An Philosophos, Solones, Lycurgos, Archytas et Zaleucos ab omni humano genere immortalitate donatos? — Plato legislationem Regi concedit; ab eodem autem postulat, ut sapientiâ gavisus sit. Quod quale sit, benè sentiebant, qui juris principia in Philosophiam recipiebant et Politicam eâdem duce absolvebant. Quis est, qui Platonem, Aristotelem et Ciceronem de Republicâ et de Legibus disserentes philosophorum officio functos esse neget? Quis est, qui Hugonem Grotium, Puffendorfium, Montesquievum et Rousseauvium ad philosophorum ordinem non referat? Quis est, qui Wolfium, Kantium et Fichteum minùs philosophatos esse defendat, cùm juris naturæ principia deducerent, quàm cùm in eo essent, ut Ontologiam, Criticam rationis theoreticæ et practicæ atque doctrinam, quâ omnis scientia nititur, exponerent? (*) Sed

---

(*) *Nota.* Philosophiæ in omnem legislationem rerumque publicarum formam influxum recentior historia satis superque probat. Quantum autem juris scientia recentiorum philosophorum operâ profecerit, juris sic dicti naturalis historia confimat. Primò enim theologicè quidem eandem scientiam tractabant à theologicis præceptis eam derivantes, quo pertinent *Joan. Oldendorpius*, *Nic. Hemmingius* et *Benedictus Winklerus* indè à 1506 – 1648 vitam agentes, quorum systemati multo sub respectu sese jàm opposuit *Henr. Corn. Agrippa* defendens, quamlibet imperii formam bonam esse, si respublica à bonis regatur. Pòst inclaruit *Hugo Grotius* in hominis naturam inquirens et principium sociale admittens. Ad Hugonem Grotium autèm proximè accessêre *Thomas Hobbesius* et *Benedictus Spinoza*, quorum ille quæsivit : quomodò hominibus extrà civitatem vivendum sit? Hic verò omnem potentiam à Deo derivans docuit, quemlibet tantum juris habere, quantum potentiæ. Primus autem, qui jus naturæ methodo absolutè scientificâ coluit *Samuelis de Puffendorf* erat, admittens quidem principium sociale ità tamen, ut necessitatem vitæ socialis ex sui conservandi studio deduceret. Eadem primò *Chr. Thomasii* sententia erat, pòst omne systema à principio deduxit : quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ejusdem discipuli *Nic. H. Gundling* et *Ephraim Gerhard* jus cogendi in jus naturæ introduxêre. Quis ignorat *Cudworthi* æternas justi notiones admittentis merita? Quis *Hutchesonii* oblitus est cuncta jura ad sensionem moralem revocantis. Præ omnibus autem *Wolfius* laudandus omnia jura ad perfectionis officium revocans, voluminosumque opus construens. Quis ignorat *Fergusonium* anglum, clarissimaque nomina *Schmaus*, *Achenwall*, *Feder* et *Garve*? Neque Gallorum lumina præclarissima, *Montesquievum*, *Rousseauvium*, *Mably* etc...., ne *Voltairium* quidem silentio hoc loco præterire fas est, licet non omnes specialem juri naturali operam navarent. *Beccariam* omnia sæcula laudabunt. Jàm verò *Kantius* recentioris Philosophiæ parens juri naturæ novam

quis negare ausus erit, eorundem principiis majorem jurisprudentiæ non solùm respectu formæ, sed etiam respectu materiæ perfectionem additam esse ità quidem, ut nostrâ tandem ætate de juris scientiâ sensu strictissimo sermo esse possit? Non me fugit, esse multos, qui juris consultorum nomine omnes dignos judicent, qui diversorum articulorum, quibus codices sic dicti juris constituuntur, cognitionem nacti sunt. Sed novi etiam, eosdem homines bajulos gravia onera quidem portare, repressos autem sarcinarum pondere ad sublimiorem in civitate gradum evolare non posse, eò quòd philosophicâ destituti culturâ eorum, quæ in republicâ fiunt atque lege æternâ fieri debent, naturam et relationes ignorant. Hi sinè Philosophiâ, quam odio habent, justitiam forsan, si memoriâ et naturali ingenii acumine valent, ad normam ab aliis præscriptam exercebunt, siculi servi dominorum jussa perficiunt; sed neque Regi, summo omnium rerum moderatori habiles *consiliarii* erunt, neque ad graviora admissi officia aut ejusdem aut populi vices subeuntes meliorem rerum publicarum statum producent. Quod quàm verum sit, benè sentientes non pessimæ indolis viri statuebant, optimè rempublicam geri, si à Philosophis geratur (*).

---

formam addidit publicatâ Metaphysicâ juris, à quo infinita philosophorum germanorum cohors progreditur novo non raró sub respectu rem considerans. Quorum, qui nominentur, sequentes non indigni sunt nimirùm : *Hufeland*, *Genz*, *Schmalz*, *Reinhold*, *Abicht*, *Jacob*, *Pörschke*, *Rheinhard*, *Schmid*, *Weber*, *Mehmel*, *Tieftrunk*, *Michaelis*, *Heusinger*, *Mayer*, *Krug*, *Jaesche*, *Löbel*, *Hoffbauer*, *Heydenreich*, *Bardilli*, *Mellin*, *Kohlschutter*, *Fichte*, *Köstlein*, *Klein*, *Maas*, *Tafinger*, *Bouterweck*, *Gross*, etc. Atque omnes jus sic dictum naturæ excolebant. Quibus paulatim plures opponi cœperunt duce, ni fallor *Hugone* gœttingensi, jura naturalia negantes adeòque alio idque sublimiori modo juris scientiæ utiles cum scientiam illam philosophicam excolerent, quam *de Civitate scientiam* vocant. Unum *Jacobum Wagnerum* nominâsse sufficit. Sed et alio modo philosophia de juris scientiâ benè merita est, cùm scientiam illam excoleret, quam *Oeconomiam politicam* vocant, de quâ antiquioribus temporibus raró scientificè cogitabant digesta nôsse contenti, licet absquè ejus principiis nulla respublica benè geri possit. De eâdem autem re plura dicere alieno loco esset : Adamum Smith celeberrimum Anglorum philosophum nominâsse satis est.

(*) Conf. profundissima Schellingii hanc in rem inquisitio, quæ in opere sæpè laudato reperitur, pag. 211. Legatur similiter Cic. Epist. ad Q. Frat. Lib. I. Ep. I, cap. 10.

Quàm verum autem sit, nobilissima quæque ab hominibus perversis injustissimo vituperio pollui, in Philosophiâ videri potest. Jàm enim in scientiam nostram inferunt, eandem Religioni obversari. Dicunt autem : Omnem Religionem *fide* niti; Philosophiam verò *scientiam* affectare, adeòque ima ejus fundamenta destruere.

Ut autem omittam, eosdem insufficientem Religionis ideam præsupponere, neque omnia, quæ distinguenda sunt, distinguere (*), concedam, quæ de eo, quid Religio sit, statuunt. Jàm verò defendo, fidem absquè scientiâ, quæ à Philosophiâ proficiscitur, nullam esse. Fides enim indigentiæ aut intellectualis aut moralis productum est, (**) quâ moti aliqua vera habemus, quorum scientia nobis impossibilis est. Ut autem noscamus, quarum præcipuè rerum scientia nobis impossibilis sit, sciamus oportet, quinam cognitionis nostræ termini statui debeant, quos transgredientes nonnisi vanis phantasmatibus decipimur, quibus cognitis fidei rationabili locus esse potest. Cùm jàm eâdem in re nobis sanctissimâ aliorum arbitrio obnoxii esse non possimus, absquè petitione principii Religionis custodes statuere non possunt, quænam tandem fidei objecta sint. Quo sequitur, aliâ inquisitione et quidem philosophicâ determinandum esse, quibus in casibus fidei necessariò locus concedendus sit. Quæ cùm ità sint, elucet, Philosophiam solam religioni fide fundatæ profunda et firma fundamenta addere, quæ eò magis necessaria esse videntur, quò magis non solùm fidem rusticam et irrationabilem horremus; sed etiam naturali quâdam sciendi cupidine ad continua atque infinita ferè dubia compellimur, quibus, si locum habeant, omni religioni interitus paratur. Quâ autem demonstratione profundiùs amoventur? Eâ, quâ nullam rationem reddentes defendimus, esse imperium intellectuale, cui ratio humana subjici debeat; aut eâ, quâ statuimus, certos esse cognitionis humanæ terminos? Dicunt, in bibliis sacris beatos prædicari pauperes spiritu et simplices corde. Nemo autem spiritu pauperior est illo, qui Socratis adinstar *scit*, nihil se scire; ea enim vera paupertas est, cujus cons-

(*) Conf. Kant : Der Streit der Facultæten. Koenigsberg 1798, pag. 44.

(**) Conf. Fries System der Logik. Heidelberg 1811, pag. 411.

cientiam habemus. Indè clarum redditur, assumtis etiam, quæ de Religione statuunt, eandem Philosophiâ firmiora fundamenta nancisci. Quomodò ergò Religioni adversari potest?

Idem aliâ adhùc re comprobatur. Omnium nimirùm ætatum historia probat, Religionem virtutis, præclarissimæ illius plantæ, quam humanitas colit, florem esse. Diversarum enim gentium historiam sanctam perlustrantes videmus, religionem, quæcumque fuerit, unà cum virtute interiisse. (*) Quæ cùm ità sint, Isaias propheta (**) antiquissimis jàm temporibus dixit : « Calendas vestras « odivit anima mea : facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis : et cùm multiplicaveritis « orationem, non exaudiam : Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Levamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, « quiescite agere perversè! »

Jàm verò cultura moralis omni ævo præcipuè ad Philosophiam pertinuit, quarè Cicero statuit : « Cùm multa sint in Philosophiâ et gravia et utilia « adcuratè et copiosè à philosophis disputata, latissimè patere videntur ea, « quæ de officiis tradita ab illis et præcepta sunt. » (***) Aristoteles autem omni cum vigore demonstrare studet, veram sapientiam in accedente ad cognitionem actione consistere. (****) Quid dicam de Platone, qui Philosophiæ morali supremum in omni philosophiæ systemate locum concessit? (*****) Quid de Zenone, qui omnem scientiam ad summum bonum retulit? (******)

Omnis itaquè Philosophia ad virtutem religionis firmissimum fundamentum nititur : omnis similiter religio à virtute progreditur. Conveniunt ergò in uno

---

(*) Conf. Dresch : Übersicht der allgemeinen politischen Geschichte. Weimar 1814. I Th. pag. 400.

(**) Isaias Proph. 1, 14. Conf. Seneca de provid. Cap. I.

(***) Cicero, De officiis Lib. I. 1.

(****) Aristot. Ethica ad Nic. IV. 4.

(*****) Conf. Tennemann Geschichte der Philosophie. II Th. pag. 277.

(******) Cicero, De finibus bon. III. 21, 22.

eodemque puncto — in virtute, in quâ exercendâ omnis philosophi labor ad finem perducitur, in quâ exercendâ omnis religio initium sumit in sublimiores hominem regiones elevans, ut quæ philosophia ab homine petit, divino cum adflatu, ut ità dicam, Dei hoc in mundo vera imago perficere queat.

Veritatem dictorum autem omnis Philosophiæ historia probat, si modò rem ipsam, quam philosophi propositam habent, non autem accidentalia respicere placuerit. Quod si enim *Plato* in capite systematis sui posuit: Id præcipuè efficiendum esse, ut Deo similes evadamus! Nonnè et religio omnium perfectissima eadem docet? (*) Quod si *Spinoza*, de cujus systemate hoc loco quærendum non est, quid de eo statuendum sit, in fine Ethices docet: Deum amare, summam beatitudinem esse! annè principali et ultimâ propositione religionis ejusdem adversarius factus est? (**) Quod si *Stoici* docent: Rationali naturæ convenienter agendum, virtutemque summum bonum esse; illum verò servum dicendum, qui à rebus externis dependet! nonnè et hoc assertum eorum principale in religionis omnibus aliis anteponendæ præceptis reperitur? (***) Quod si *Leibnizius* in præclarissimo opere suo omnis in eo est, ut providentiæ divinæ vestigia in rerum omnium Universo nobis monstret, nonnè fundamentalem christianæ religionis ideam confirmare studuit, quod idem liber Job perficiendum sibi proposuit? (****) Quid deniquè dicam de recentioribus, ad quos *Kantius*, *Fichteus*, *Eschenmayerus* et *Jacobius* sagacissimi Germanorum viri præ reliquis pertinere videntur? Nonnè omnem doctrinam fidei inædificârunt, quæ secundum eorum principia aut ab existentiæ moralis postulatis, aut à sensione, à naturâ nobis inditâ proficiscitur? — (*****) Non erubesco

(*) Conf. Platonis Theæt. et Matth. 5, 48.

(**) Conf. Spinoza: Eth. P. V. prop. 36 et Schol. — I Joan. 4, 18 Matth. 22, 37–40.

(***) Conf. Ep. Paul. ad Rom. 8, 11–15.

(****) Conf. Matth. 6, 25–32.

(*****) Conf. Metz: Critica rationis practicæ. Wirceburgi 1800, pag. 82. Fichte, Die Bestimmung des Menschen. Frankfurt und Leipzig. 1800.

Die Philosophie in ihrem Übergang zur Nichtphilosophie von C. A. Eschenmayer.

publicè profiteri, religionem summum et supremum esse, ad quod mens humana elevari potest. Sed idem profitear, necesse est, religionis systema positivum tunc demùm præclarum omnibusque anteponendum prædicari posse, si doctrina ejus talis sit, ut cum rationis effatis in nullâ contradictione versetur. Quod quale sit, fidei christianæ propagatores præ reliquis sensisse videntur, qui omnes in eo erant, ut Philosophiam non solùm colerent, sed etiam consensum ejus cum dogmatibus suis demonstrarent.

Obmovent forsàn: Esse et atheos multâque impietate nocivos! Sed benè distinguendum est: *quales* illi athei sint et à *quibus* tales vocentur? Non raiò enim teste Philosophiæ historiâ et ii athei nominabantur, qui non Deos, sed *reliquorum* tantummodò Deos negare ausi digniores de divino numine repræsentationes propagabant. Quem fugit in Socrate piissimo mortalium virtutem ipsam impietatis in Deos ergò ad supplicium datam esse? Atque hoc tantum est, ut plerumque eos nostra ætas laudet, quos eorum cives Atheismi causa in exilium mittendos putabant, bonis privabant, aut supplicio adficiebant. Quod si verò homines existant, qui res divinas et humanas perversâ mente ludibrio habentes defendunt: Primos Ægypti legislatores *Conscientiam* effinxisse, ut culturæ civilis opus perficerent? Quod si homines existant, qui de mortalitate animæ verba facientes finitâ longâ et inutili deductione auditorem auriculâ arripiunt, ipsique submissâ voce conclusionem communicant: ergò participem leti quoque convenit esse! Quod si homines existant, Deum ad fabulas referentes, quos Socrates et Plato unàque cum illis vera philosophantium gens Sophistarum nomine omni ingenii vi aggrediebantur; quod si deniquè iidem imaginario jure philosophorum sibi nomen arrogant, quid impedit, quominùs eos philosophorum ordine excludamus, (*) cum omnis Philosophia in eo versata sit, ut eorum, quæ divina sunt, cognitionem, omni generi humano sacram confirmet?

Fr. Jacobi: Von den göttlichen Dingen und ihrer Offenbarung. — Über die Unzertrennlichkeit der Freyheit und Vorsehung von dem Begriffe der Vernunft. — in dessen Werken II und III B. Leipzig 1815.

(*) Conf. Arist. Metaph. IV. 2. — Platon. Sophista sive de ente.

Rebus ità constitutis rectè defenditur, Philosophiam tantùm abesse, ut Religioni adversetur: ut multò potiùs eandem confirmet. Et sanè, sic rectè quærit clar. Schellingius, (*) quænam illa Religio esset, quæ Philosophiæ præceptis aliquid detrimenti capere posset? Quod si verò aliquid detrimenti caperet, ratio in Philosophiâ posita non esset; sed in hominum perversitate, quâ optimâ quâlibet re stupendum in modum abutuntur.

Jàm verò ad ultima redacti Philosophiæ adparente saltem cum vituperio objiciunt: Eam à vitâ activâ nos avocare, ad internam et inanem contemplationem nos deducere, omnemque in agendo vigorem enecare. (**) Eosdem autem oblitos esse eorum, quæ de Socrate cive (***) referuntur, in propatulo est. Negandum non est, Philosophiam à nobis exigere, ut nos ipsos internè contemplantes nostrûm ipsorum cognitionem nanciscamur eâque re in pace nobiscum vivamus. (****) Quæ verò dùm indagat, mentis radios in unum colligit, ut majori vi ad mundum externum, in quo agentes versamur, reflectantur. Itaquè Philosophia cum tabulâ nigrâ mihi comparanda non videtur, quæ omnes, uti dicunt, lucis radios absorbet; sed multò potiùs cum speculo, quod urendo servit, omnes lucis radios ad focum reducente, quò fortiùs in objecta opposita agant. Quæ cùm ità sint, philosophi verè tales omni tempore docebant: Vitam actu metimur, non tempore; longa vita est, si plena est. Quid hominem octoginta anni juvant per inertiam exacti? (*****) Quæ cùm philosophi doceant, sanè ad eos referendi non sunt, qui otium divinum nihil agendo quærentes Brachmanum adinstar manibus sinui impositis vitam contemplando transigunt, aut in speluncas se recipientes humanam societatem fugiunt, aut columnis impositi immobiles omnium intuitui sese exponunt.

Hisce jàm præmissis, Ornatissimi Auditores, eo repleti animo, qui Philoso-

(*) Vorless. über die Methode des acad. Studium, pag. 103.

(**) Conf. Sadoleti de laudibus philosophiæ libri duo Lugduni 1538.

(***) Joannis Luzac Oratio de Socrate cive. Lugduni Batavorum. 1796.

(****) Conf. Krug Fundamental Philosophie. Züllichau und Freystadt 1803, pag. 8.

(*****) Seneca Epist. ad Luc. 93.

phiæ tirones decet, scientiæ præclarissimæ limina transcendamus eâ cum solertiâ eoque cum studio eam prosecuturi, quo colenda est, ut non solùm animi vestri atque colendarum scientiarum necessitatibus satisfiat, sed etiam ut tales evadatis, quales Parentes dilectissimi, Patria atque Augustissimus Rex, quin imò universum genus humanum sibi exoptat, quales enascentis sub lætissimis auspiciis Universitatis gloria desiderat, quales deniquè omnium ordinum academicorum Professores omni virtute et doctrinâ ornati favente numine divino vos excolere parati sunt. Magna vobis, si præterlapsorum sæculorum historiam *patriam* perlustrare volueritis, præclarissimorum philosophorum exempla proposita sunt, quorum manes altâ voce ingenium vestrum ad Philosophiæ studium admonere mihi videntur. Quis ignorat *Rudolphum Agricolam* Philosophiæ peripateticæ purioris quondam propagatorem? Ut omittam *Cornelium Agrippam* brevi temporis spatio hisce in regionibus versatum; ut taceam *Comenium* intrà regni terminos mortuum; *Marium Nizolium* philosophiæ scholasticæ adversarium Leibnizius tanti habuit, ut opera ejus recudi faceret. Ad cujus aures *Hugonis Grotii* nomen delatum non est, qui opere de jure belli et pacis æternam lauream meruit. *Joannem Ludovicum Vives* omnes Belgii incolæ lubenti animo incolatûs honore donabunt. *Joannes Helmonthius* systemate medico-theologico, licet novis placitis et paradoxis dogmatibus repleto multos in se oculos convertit. *Benedictum Spinozam* ob ingenii acumen profundamque speculationem omnia sæcula admirabuntur. *Christophorus Wittichius*, *Tobias Andreæ*, *Jacobus Rivius*, *Jac. Goussetus*, *Voetius*, *Schoockius*, *Joannes de Raei*, *Balth. Bekkerus* in dignissimorum philosophorum Catalogo omni tempore legentur. Quid dicam tandem de *Justo Lipsio*, de *Josepho Scaligero*, de *Desiderio Erasmo*, quorum nomina in omni orbe terrarum celebrantur ità, ut non solùm philosophis, sed etiam philologis celeberrimis adnumerandi sint? Quid dicam deniquè de recentioribus terræ paternæ philosophis, de *s'Gravesando*, *Crusazio*, *Velthuisenio*, *Hemsterhuisio*, *Wyttenbachio* et aliis, qui nostrâ adhùc ætate aut Philosophiam scriptis suis promovent, aut rebus gerendis impliciti alto eam pectore foventes quàm maximè sublimem sapientiam exercent?

Si verò à propriâ patriâ clarissimis Universitatibus jàm antiquissimis tempo-

ribus inclytâ oculos aut meridiem aut septentrionem aut occidentem aut orientem versùs convertere volueritis, quanta vel æmulationis vel imitationis exempla vobis offeruntur? Annè vobis, qui nostrâ ætate singularem gentem constituentes intermedii inter gentes philosophicas estis, laudi duci posset, si Philosophiam ab omnibus in viciniâ mortalibus cultam negligendam putaretis? Quamdiù provincialium nomine alieno imperio paruistis, alienæ gloriæ participes esse licuit. Jàm verò proprio studio propria laurea recuperanda est. Quàm præclara autem nomina vobis obviàm veniunt certamen philosophicum ineuntibus? Si Gallos intueri placuerit, laudem, quam *Cartesius*, *Mallebranche*, *Condillacus*, *Rousseauvius*, *Montesquievus* meriti sunt, præclarissimi viri *De Gerando* et *Des Tutt-Tracy* fortiter defendunt. Si Anglos contemplari placuerit, gloriam, quam *Baco*, *Lockius*, *Humeus* et *Reid* ducentes sectatores et provocantes adversarios sibi vindicârunt, illorum successoribus non denegamus. Quod si porrò Germanos respicere decreveritis, innumera maximorum philosophorum series oculis vestris se offert, qui digni *Leibnizio*, *Wolfio* et *Mose Mendelii*, à *Kantio*, *Fichteo*, *Schellingio*, *Friderico Jacobi*, *Krugio*, *Frisio* et *Hegele* ducuntur antiquam Græciam in memoriam nostram revocantes. Quæ cùm ità sint, cum multis magnisque viris certamen philosophicum vobis ineundum est. Inclaruit Belgium agrorum fertilium culturâ; inclaruit terræ fodinis locupletissimis; inclaruit fabricis et commercio; inclaruit literarum studio; inclaruit et Philosophiæ amore. Vestrum jàm est, Ornatissimi auditores, ut Philosophiæ antiquum amorem, *ubi adest*, -- conservetis, — ubi *evanuit*, — universam patriæ laudem integram servaturi revocetis; gloriam exterorum verò si non contigerit superare, æquiparare studeatis à Gallis eloquentiæ florem et distinctæ facundæque dictionis laudem, à Germanis profunditatem, ardorem et materiæ inquisitionis ubertatem, ab Anglis verò propriam et nationalem indolem desumentes. In omnibus autem avorum et proavorum exempla præclarissima secuti cum exteris ad Græcos et Romanos præ reliquis oculos convertatis, etiam atque etiam rogo Philosophiam tanti habentes, quanti eam Cicero cum omnibus antiquitatis philosophis habuit, dicens :

« O vitæ Philosophia dux! o veritatis indagatrix expultrixque vitiorum! Quid

« non modò nos, sed omninò vita hominum sinè te esse potuisset ? Tu urbes « peperisti : tu dissipatos homines in societatem vitæ convocâsti : tu eos inter « se primò domiciliis, deindè conjugiis, tùm literarum et vocum communione « conjunxisti : tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinæ fuisti : ad « te confugimus : à te opem petimus : tibi nos, ut anteà magnâ ex parte, sic « nunc penitùs totosque tradimus. Est autem unus dies benè et ex præceptis « tuis actus peccanti immortalitati anteponendus. Cujus igitur potiùs opibus uta- « mur, quàm tuis ? Quæ et vitæ tranquillitatem largita nobis es, et timorem « mortis sustulisti » (*).

(*) Cicero Quæst. Tusc, V. 2.

Dixi.

IN

ORATIONE IGNATII DENZINGER

EMENDANDA.

Pag. 7	lin. 13	legat.	*respondebit*	loco *respondet.*
— 8	— 13	leg.	*deduxit*	loc. *deducit.*
— 10	— 9	leg.	*principia*	loc. *principium.*
— 13	— 13	leg.	*Anatomici*	loc. *Anatomi.*
— 13	— 14	leg.	*telescopiis*	loc. *telescopis.*
— 13	— 15	leg.	*microsopiis*	loc. *microscopis.*
— 14	— 21. 23. 25.	leg.	*habeant*	loc. *habent.*
— 17	— 24	leg.	*solam*	loc. *sol.*
— 18	— 7	leg.	*nullâne*	loc. *nullâ.*
— 18	— 19	leg.	*majoris pretii.*	loc. *majoris.*
— 22	— 5	leg.	*Leibnitii*	loc. *Leibnizii.* Similiter, pag. 43. 46. 47.
— 25	— 23	leg.	*labore*	loc. *labore labore.*
— 29	— 8	leg.	*perscrutetur*	loc. *perscrutatur.*
— 29	— 9	leg.	*dirigat*	loc. *dirigit.*
— 35	— 7	leg.	*præcaveatur*	loc. *præcavetur.*
— 39	— 14	leg.	*confirmat*	loc. *confimat.*

ROMA,

ELEGIA AUG. GUIL. SCHLEGEL,

E GERMANICA IN LATINAM LINGUAM TRANSLATA

A

J. D. FUSS,

Nunc ab eodem, accurate emendata versione, cum præfatione annalibus academicis, orationis inauguralis loco, inserta.

PRÆFATIO.

Annalibus academicis versionem poematis inserturi, pauca præfanda ducimus; tum ut alia quædam animadvertendi occasione utamur, tum ut reprehensioni occurratur; quam, nisi necessitati veniam petamus, vix quidem effugere posse videmur, gravibus collegarum lucubrationibus opellam, nec ineditam et per se leviorem, immiscentes.

Nempe facultatis philosophicæ et litterarum humaniorum in academia Leodiensi, sub ipsis prælectionum initiis, ea conditio fuit, ut cæteris professoribus paucissimi, mihi prorsus nulli auditores invenirentur. Quo minus inaugurali oratione opus erat; neque vero ullam composueram, quippe cui facile esset, hanc supervacaneam fore operam, prævidere. Deinde ubi discipulus unus et alter, paulatim plures accessere, non eo magis negata semel inaugurationis opportunitas concessa; neque hanc aut res, aut auditorum aut prælectionum tum habendarum ratio flagitabat. Sic quum absque inaugurali oratione semestris finem attigissem, jam de illa porro cogitandum non erat, ne quid præpostero tempore fieret; atque in eo magis laborandum, ut auditoribus parum provectis utilem me præberem,

quam ut academicæ sive dignitati sive ostentationi consulerem. Itaque secuto semestri satis habuimus novis quoque prælectionibus ea præmittere, quæ alumnorum usus suaderet, non quæ annales academiæ poscerent. Neque aliter fecimus præsentis anni initio, prælectionibus *Exhortatione ad facultatis philosophicæ alumnos* præludentes: quæ, typis vulgata, nec inserendi consilio composita fuerat, et si inserenda esset, hujusce potius quam primi anni fastis adjicienda.

Igitur inauguralibus, ut ita dicam, academiæ nostræ annalibus, quod insertum vellem, nihil prorsus reperiebatur; neque hæc res me vehementer sollicitum habebat; etenim et de officio rationibus modo memoratis me satis defensum putabam, et laudis, siquid sapientibus audiendum dicerem, parandæ occasionem periisse facile patiebar. Interim, annalium parte jam typis excusa, fuit qui laudis meæ, quam ipse eram, cupidior, moneret, ne ad prima academiæ monumenta nil præter nudum nomen conferrem: nam hoc cum alias non decere, tum a nemine minus quam a me exspectari, quippe qui litteras humaniores docerem. Paucis: sincere monenti obtemperandum utcunque duxi. Itaque, quum neque animus esset docti quid, ut ajunt, elaborandi, et tempus insuper aliis negotiis impeditum deficeret, opportune accidit, quod *Romæ Schlegelianæ* secundam versionem nondum vulgaveram. Ad eam, tanquam ad unum sollicitudinis refugium, recurri, nunquam ita facturus, nisi necessitas quodammodo cogeret. Etenim, non modo hoc probe intelligebam, quam parum conveniat fastis academicis vel optimam carminis et laboris nomine commendandam versionem inserere, sed illud etiam verendum erat, ne quis me ejusmodi operam, quasi scilicet gravioris momenti, alieno loco ostentantem, acrius reprehenderet, quod omnino studium in hoc litterarum genere ponerem. Nec enim defuturos puto,

qui in versibus latinis aut pueros aut adolescentes tempus consumere magis decere existiment, quam academicos doctores; ac sane facile sit talem sententiam speciosis rationibus firmare. At neque, cætera quod attinet, omnes versus facientes eodem numero habendi sunt, et in latinis componendis aliis puerile, aliis discenti utile, aliis ne in viro quidem carpendum propositum esse potest. Verum cum fastidiosis poeseos latinæ recentioris adeoque versuum contemtoribus hic non luctabimur: placeat illis suum fastidium.

Nos autem, quod omnino, ut prosæ scriptores, sic poesin latinam et plurimi facimus, et summo studio complectimur, id quidem nemo in veterum litterarum professore damnaverit, nisi forte sit unus ex illis, qui nonnisi in desperatis scriptorum locis excutiendis, aut in editionibus notisque recoquendis versari philologum volunt. Quibus vero rationibus ducti, in versibus latinis, inque carminibus latine vertendis operam et posuerimus, et porro etiam ponendam arbitremur; eas hoc loco adferre eo minus dubitamus, quoniam hæc quæstio tum per se digna est, quam litterarum amantes agitent, tum vero a veterum litterarum professoris munere non tantum non aliena, sed arctissime cum eo conjuncta cernitur.

Quæ igitur nos præcipue moverunt, ut versus latinos facere non erubescendum duceremus, duo sunt: alterum, quod perspicuum erat, nos hac industria, qualemcunque habemus sermonis latini facultatem, magnopere aucturos esse; alterum vero, quod persuasum erat nobis, linguam latinam, ut ad disciplinas propagandas hodieque a sapientibus merito commendatur, sic ad poemata aliorum populorum cum aliis communicanda felicius sæpe, quam recentiores linguas, posse adhiberi: quæ persuasio sane non dubitamus quin primum absurda multis videri debeat; et vere esset, si, quod de parte intelligendum

dicimus, de omni recentiorum poesi pronuntiaretur. Sed accuratius, quid velimus, declarandum est. Nempe poematum multa genera et quasi infinitas species inveniri quis ignorat? Eadem tamen, si neglecta generum, qualis in theoriis, ut vocant, statuitur, varietate, ipsam poeseos indolem spectemus, omnino aut ad antiquam aut ad recentiorem poesin pertinent; nisi quod nonnulla sunt medii, sive mixti inter utramque generis. Atque hanc distinctionem si quis inanem et mere imaginariam esse contendat, næ alio nobis argumento opus non sit, ut sciamus eum poeseos naturam parum perspectam habere; nec vero facile foret talem, quod non sentiat, docere, neque nos id conabimur. Est enim hæc et longior materies, et dicta intelligentibus dicta volumus.

Jam quæ poeseos charactere antiqua vocamus poemata, in iis versuum species totaque carminis forma aut pariter antiqua, aut recentior esse potest; quæ res ex diversa recentiorum linguarum indole pendet. Nam quarum prosodiæ ea ratio est, ut antiquas versuum formas non recuset, in his easdem, in poemate natura sua antiquo, plerumque præferri, res ipsa facit ut libenter credas. Nemo, exempli causa, Germanus antiquæ poeseos imitator nunc in heroico carmine alio facile quam hexametro versu utitur, qualem veteribus usurpatum invenimus; quippe cujus formam linguæ germanicæ prosodia non invita recipiat. Contra eodem uti, quamvis maxime cupiant, neque Gallo neque Italo sua lingua concesserit, ut pote versus hexametri antiquæ formæ prorsus repugnans. Igitur quum carminum, natura sua ad antiquam poesin pertinentium, alia recentiorem, alia antiquam formam præ se ferant, nos ad utraque vertenda linguam latinam, si universe pronuntiandum, aptiorem esse quam recentiores, persuasum habemus; tametsi per se manifestum est, hoc non perinde de utroque genere, sed de altero præcipue valere, in quo antiquo poeseos cha-

racteri respondet consentiens forma. Jam, ut in argumento, quod fusius tractandi alias forte otium et opportunitas contingent, sententiam nostram declarasse contenti, eo statim, quo tendimus, veniamus : ejusmodi poematum, qualia utraque ratione antiqua dicimus, plurima sunt a poetis Germanis composita. Nec mirum; etenim nulla gens, ut omnino veteri litteratura, sic inprimis poesi vehementius delectatur, et patriæ linguæ, quam modo attigimus, indoles Germanos poetas ad severam Græcorum et Romanorum imitationem invitat: cui, ne ullam præterea causam adferamus, ut aliorum populorum sermo minus favet, ita mirum non est, pauciores apud eos extitisse antiquæ poeseos imitatores.

Quæ omnia animo reputantes olim nos cupido incessit, clariora nonnulla illius generis poetarum nostrorum carmina latino sermone vertere, non tam, ut a nostratibus latina quoque, quam ut ab exteris cum voluptate legerentur. Id enim in hisce carminibus aut nunquam aut latina versione effici posse judicabamus; nimirum hac una ratione eam tolli difficultatem, quæ maximè in causa est, cur pulcherrima quæque poemata exterorum reddita sermone plerumque non modo non pulchra, sed vulgo aut parvo aut nullo in pretio ponantur. Quod quam sit verum, experientia docet; causas autem et alias, sed hanc præcipuam reperimus. Nempe neminem in poeseos naturam paulo altius mente penetrantem fugit, non solo ingenio, quale strictiori sensu dicimus, et multo minus solis linguæ dotibus, et numeri in versibus suavitate, totiusque carminis formæ venustate, sed hisce omnibus ingenio accedente et felicissime conspirante, sic demum pulchra et miranda poemata evadere. Igitur in recentiorum poesi quum forma habitusque carminum apud diversas nationes diversissima cernantur; in hoc ipso causam positam esse

intelligas, cur carmina ex alia in aliam recentiorum linguam conversa tantam pulchritudinis jacturam patiantur, ut quæ suo in sermone, et veluti proprio in habitu nitentia, eximie placebant, eadem in alieno aut mediocria aut mala etiam videantur. Hæc adeo gravis causa habenda est infelicis interpretum in recentiori poesi successus: quæ si quis probe consideraverit quantam vim habeat, non mirabitur, opinor, sententiam a nobis supra pronuntiatam: scilicet, quæ indole et forma antiquæ poesi adnumeranda sint carmina, ea, ut exteris placeant, latino potissimum sermone esse vertenda. Neque dubium est, quin eo magis ita sit judicandum; quoniam res ipsa fert antiquæ poesi antiquam pariter formam potius quam recentiorem convenire. Et hoc quidem verbo tenus hic attigisse, sufficiat.

Illud vero impensius monendum ducimus: scilicet eadem, quæ diximus, carmina nobis quidem persuasum est, ut latine maxime vertenda ducimus, sic talia esse, ut exteris fere magis placeant, quam si æque feliciter vertantur recentioris poeseos carmina. Enimvero, tametsi pulchrum, quale mente concipimus, recte dicatur ubique pulchrum esse, adeoque non posse in unius litteratura gentis probari, in alterius improbari: tametsi igitur hoc recte ponatur, fatendum tamen, et experientia novimus, sæpe in litteris, et maxime in poesi, eadem, sive longiora sive parva poemata, apud alios vehementer, apud alios aut parum laudari, aut prava etiam judicari. Atque hoc quidem de veterum quoque poesi, de Græcorum puta et Romanorum, aliquatenus valere nemo inficietur; etenim ne horum quidem insigniora opera omnibus gentibus æque placere videmus, ne Horatium quidem aut Virgilium, imo ne Homerum quidem, licet is omnium maxime non tam suæ modo genti, quam, immutabili velut natura magistra, universo hominum generi divina carmina

fudisse videatur. At verissimum nihilominus est, ingens hoc nomine inter recentiorem et antiquam poesin discrimen deprehendi; videlicet, ut rem verbo dicamus : in recentiori plurimum vulgo aliæ ab aliis nationibus judicio differunt; in antiqua autem ita differunt modo, ut neque omnes perinde universam, et inter singula opera aliæ hæc, aliæ illa magis mirentur, cæterum vero et universam poesin, et primarios in suo quemque genere auctores non tantum non contemnant, sed exemplaria recentioribus proponere hodieque consueverint. Jam ut, hujus discriminis causas mittentes; quippe longiori ad eas exponendas disputatione opus foret : ut has, inquam, mittentes, id, quod supra posuimus, confirmemus : quum talis sit antiquæ poeseos natura, ut omnibus placeat et probetur, patet ea carmina recentiorum, quæ ejusdem sint naturæ, potissimum quoque exterorum gratia vertenda esse, ut pote, si universe loquimur, iis longe facilius placitura, quam quæ sunt recentioris poeseos.

Nos adeo hæc omnia, et simul quanti momenti sit intuentes, quæ in singulorum populorum litteratura eximia habeantur, ea cum exteris communicare, ad eam rem pro viribus conferre decrevimus, insignia nostratium poemata nonnulla latine vertendo; magis id agentes, ut exemplo alios ad idem faciendum hortemur, quam sperantes, nos ipsos in ea provincia cum laude versaturos. Enim vero nimis optandum videbatur, si a summis ingeniis singulis gentibus composita Latii sermone reddita, sicut immortalia veterum opera, velut communia omnibus gentibus humanæ mentis monumenta evaderent. Quam difficile autem ad hoc præstandum sit interpretis munus, quam exquisita et linguæ latinæ facultas, et veterum litterarum cognitio requiratur, nullo negotio intelligent iis non obiter imbuti; mihi quidem eo minus docendum est, ne cui videar egomet mihi,

quæ in aliis exigam, arrogare; a qua arrogatione quam vehementer mihi temperandum sit, necesse non est, ut ab aliis monear; et quod modo dixi, me exemplo doctiores hortari cupere, id, si quid unquam, verissimum dixi.

Igitur tali consilio ducti initium vertendi fecimus ab inclyta Schlegelis elegia, quæ *Roma* inscribitur, cum vi poetica tum argumento lectione dignissima; eamque versionem Coloniæ Agrippinæ vulgavimus, non satis limatam quidem illam, sed tamen, nisi doctis judicibus omnis auctoritas neganda, non prorsus infelicem. Quo magis studuimus et hanc pro viribus perficere, et aliam ejusdem Schlegelis vertere elegiam, quæ inscribitur *Ars Græcorum*, pari cum altera argumenti gravitate, sed arte fortassis paulo inferior; si tamen fas nobis de tanto viro judicare, cujus ut ad eximiam in omni antiquitate doctrinam recentioris litteraturæ plane mirabilis accedit scientia, sic uberrimis summi ingenii documentis gloria per omnes Europæ populos vagatur. Itaque *Artem Græcorum* una cum *Exhortatione* supra memorata vulgavimus; *Romæ* autem versionem intensissima cura repetitam et centum locis mutatam atque, ut sane speramus, emendatam, hic secunda editione publici juris facimus, cæterum solo textu contenti, præfatione et notulis, quas paucas tironum, ut ajunt, gratia adjeceramus, omissis. Restat ut de altera ratione, qua ad versus latinos faciendum nos motos esse diximus, jam brevissime defungamur.

Studium linguæ latinæ, adeoque veteris litteraturæ; nam nec litteræ latinæ sine lingua coli possunt, nec græcæ sine latinis vigere: hoc igitur studium, et in hisce Belgii regionibus, ubi novas nunc academias ab Augustissimo Rege institutas lætamur, diu neglectum esse, quis nescit? Quod quanto disciplinarum et litterarum damno acciderit, sapientes sentire non desierunt; sed hujus loci non est ostendere,

et alii bene multi satis docuerunt. Neque vero quisquam dicet hoc aut fugisse aut parum movisse eos, quorum ad mentem consiliumque nostræ litterarum universitates, atque omnino superior juventutis, quæ vocatur, institutio in regno Belgico ordinata cernitur. Scilicet his quoque gravissimis viris id persuasum fuisse liquet, initio quidem nulla in re magis laborandum, quam ut linguæ latinæ et veteris litteraturæ pene extinctum studium nova quasi vita refloresceret, suusque antiquitati honos in ea terra rediret, quam summis philologorum ingeniis quondam fœcundam fuisse litterarum historia loquitur. Et vero est cur uberrimos novæ institutionis fructus jam nunc miremur. Jam enim et parcius insolens quorundam hominum ignorantia veteres litteras et latinæ græcæque linguarum studium carpit, et inventi sunt qui, inanem loquacitatem validis rationibus aggressi, insulsis declamatoribus, fide apud populares detracta, os præcluderent; jure ut sperare liceat, fore, ut felicibus auspiciis ad Belgas revertens antiquitatis amor, mox in omnes partes late læteque fundatur.

Quidni enim ita futurum speremus, quum egregios viros generoso in veteribus litteris colendis fovendisque certamini intentos, nec dubia rarioris doctrinæ et ingenii monumenta passim prodire in lucem videamus? Enimvero horum exemplo et industria fieri vix potest, quin brevi omnium in animis sapientissima illa majorum persuasio renascatur : videlicet juventutis institutionem alio, nisi veteris litteraturæ, idoneo fundamento inniti non posse : quæ persuasio ubi semel resuscitata fuerit, quidni jam fausta omnia in litteris artibusque exspectentur? Ad illos adeo antiquitatis amantes cultoresque æquum esse ratus sum meam quoque industriam accedere, eorumque vestigia premere, ut quos ingenio assequi posse mihi merito sit diffidendum, eos, qua licet, voluntate æquiparem. Nam quid quæso aut amanti

veteres litteras jucundius sit, aut ab eas publice in academia docenti potius postulandum, quam ut in iis commendandis, et amore earum propagando ex omnibus viribus occupetur. Neque vero liquet nobis, qua ratione ad id officium aptiores fieri, aut optatiori contendere successu queamus, quam si, quod est hujus studii fundamentum, sermonis latini non vulgarem facultatem comparemus. Sic enim verissime statuere videmur, nihil impensius ad veteres litteras primum adfligendas, deinde contemnendas valuisse, quam insulse barbareque scribentium turbam. Et vero historia teste cognovimus, quo tempore lætissime viguerit antiquitatis studium, eo probatissimos Romanæ facundiæ inter recentiores auctores extitisse: qui sub ætatem nostram, necdum spreta tum veteri litteratura, quum rarissimi invenirentur, neque hujus omnino studium, tametsi aliæ causæ ad evertendum non concurrerint, diu florere potuisset.

Quare in philologia quanti momenti sit linguæ latinæ exquisitior cognitio, probe perspicientes, in hac consequenda plurimum operæ ponendum duximus, neque aliter id rite futurum sentiebamus, nisi utriusque styli, prosaici et poetici, facultatem conjungendo. Hæc demum ratio ad eam, quæ supra exposita, accedit, cur in versibus latinis faciendis nonnihil temporis consumere haud dubitemus; adeoque duplici ratione nos satis excusatos, et quædam etiam animadvertisse, digna fortassis, quæ ab aliis accuratius doctiusque tractentur; jamque proposito nostro satis dictum putamus. Quanquam multa sunt, quæ hic commode dici potuissent, nisi nos et tempus et aliæ causæ monerent, ea in aliam disputationis occasionem differre, in qua cum de veteris litteraturæ per se atque ad liberalem adolescentium institutionem præstantia, tum de recentiorum in litteris latinis et maxime in poesi studio meritisque disserere constituimus; neque tum

opportunitas deerit iis quoque respondendi, qui, alii rudes litterarum, alii, ut sibi quidem videntur, doctiores, latine aut scribi prorsus nolunt, aut bene emendateque scribi hodie posse negant; neque minus iis, qui, prosam concedentes, a poesi utique abstinendum, præcipiunt, quasi vero, (sic enim his persuasum est;) recentiorum latina poemata necesse sit vel mere servilem esse veterum imitationem, ideoque non ferendam, vel, si hoc minus, certe nemini unquam sufficientem linguæ cognitionem fore, ut in ejusmodi carminibus de stylo, quid probandum culpandumve sit, certa auctoritate pronuntiare valeat. Scilicet hoc volunt illi, eadem poemata eodem fere jure ab aliis laudari, ab aliis reprehendi posse. Hæc igitur, et quæ similia multa a multis garriuntur, tum refutandi locus erit; in præsentia autem huic qualicunque sive quæstiunculæ sive oratiunculæ hic modus statuatur.

Ad Schlegelem interpres:

Ουχ οιος τε τεκειν αυτος καλον τ'αγαθον τε,
Ρωμαιον παιδας σους εδιδαξα λαλειν·
Οφρα κε, σον κλεος ως γαιην επι ηλθεν απασην,
Ως μουση πασιν ση μεροπεσσι λαλη.



ROMA.

Ad Ann. Lod. Germ. Baronessam a Staël-Holstein.

ARGUMENTUM.

Poeta ad Cestii pyramidem, inter tumulos, adeoque ipso invitante loco, urbis æternæ fata animo volvens, diversas historiæ Romanæ ætates, præcipua in singulis momenta exhibendo, adumbrat. V. 3—258. Igitur, præmissis nonnullis cum de antiquissimo terræ, ubi Roma condita, statu, tum de gentis Romanæ origine, primam ætatem, quam possis dimicantis Romæ adpellare, exponit ad v. 65. Sequitur secunda, sive victricis Romæ ætas, cujus binis quodammodo partibus constitutis, priorem, integris etiam tunc civitatis moribus, paucissimis indicare contentus poeta, in posteriori degenerem ab avorum virtute et in semet sævientem gentium dominam graviter vividisque coloribus expressam repræsentat ad v. 121. Tum tertiam ætatem, quæ est servientis ruentisque Romæ, ipsasque ruinas non minori spiritu persecutus ad v. 219. deinceps præsentem recentioris Romæ conditionem, nulla pristinæ virtutis spe relicta, deplorat ad v. 258. Denique in extrema pulcherrimi carminis parte ad eam, quam initio alloquitur, illustrissimam feminam oratione conversa, hujus excelsas dotes ingeniumque mirans, simul patrem ejus, inclytæ memoriæ virum, merita laude extollit.

PLENO Parthenopes ducebas ubere vitam :
    In mundi mortem nunc quoque disce rogo.
Læta quidem Latii ridente sub æthere terra :
    Candida cærulei funditur ora poli,
Roma suum spectat septem qua collibus æquor,
    Quaque videt pontum, quaque Sabina juga.
Tristis at incedit perculsa mente viator,
    Per confusa morans rudera sæpe gradum.

Hic vetus, hic primi sonat irrevocabilis ævi
    Echo, cui faciunt conscia saxa fidem.
Rebus vix ortis, profugus Saturnus Olympo
    Aureus hic felix condidit imperium.
Post te, Jane bifrons, cepit trans Thybrida sedes,
    Multa tuum collis sæcula nomen habens.
Inde lares transfert heros Evander eodem,
    Arcadius pastor; stramineamque casam
Alcides Pallantei subit hospes, Iberis
    A terris rediens : vindice latro cadit
Ignivomus clava, vicini terror, in antro.
    Cyclopum veluti sic loca vasta jacent.
Tandem vela Phrygum subeunt, quæ Thybris ab ore
    Introrsum pronis molle recepit aquis.
Nempe tuos norat vectantem, Troja, penates,
    Et mundi fœtas imperio cineres.
Sed Lavina prius, post Albæ mœnia surgunt :
    Nam Romæ nondum nomen in orbe fuit.
Tarda subit lucem soboles, tentataque multa
    Sunt fatis : majus sæcla tulere nihil.
Martem flamma prius domitet, pariatque sacerdos,
    Fas est, et mitis sit lupa dira parens;
Quam possit sulcos circum Pallatia, fines
    Urbis Romuleæ, vomer arare sacros.
Sed velut in cunis heros eliserat angues,
    Infans et tenuis grandia fata probat.

Quasque Jovis dextra bis senas, Romule, cernis,
    Olim alas tendent, qua patet orbis, aves.
Nec fera vis placuit : mortem quæ spernere fortis,
    More simul vitam legeque Roma tegit.
Prædonum socius qui pandis asyla Lupercal,
    Constituis patres, ipse Quirine pater.
Tum solers, arcana docet quem nympha sodalem,
    Cuncta sacræ lustrat relligionis ope.
Ac casa dum civi satis est, jam cura nepotum
    Fervida moliri publica multa monet.
Saxis in quadrum Tuscam sectis ad amussim,
    (Nam calx consertum nulla ligabat opus,)
Attollunt muros, cameras tellure recondunt;
    Cinctaque saxa Jovis molibus alta rigent.
Plurima regna jacent; durant quæ cœperat Ancus
    Mœnia, quæ jussis structa, Superbe, tuis.
Mox animi venere Decî Brutique secures. *)
    Sæpe focis adsunt, vomere sæpe duces;
Qui servant cives, hostem delentve domantve,
    Et tacito repetunt tecta bovesque gradu.
Firma viget sudore ætas, tum fronte nitescunt
    Rugæ sub niveis ut diadema comis.
Hinc et amavit eos hominum sator et mundi rex;
    Dignior effigies nec fuit ulla Jovis.

*) Versus Propertii, IV, 1, 45.

Sæpius adflictis virtus infracta manebat;
Namque sacer timidos non sinit esse pudor;
Attolluntque vices animos: occumbere sanctum
Ducunt pro patriis rustica corda focis.
Grajorum sophiam, virtus cui dicta voluptas,
Horruerat, movit cui fera vasta jocos. *)
Castum, o Roma, vigil morem servato! Feroces
Tempora post Vejos jam graviora manent.
Mox unum pandent longum tua facta triumphum;
Nec facile est oculis regna subacta sequi.
Gloria parta tibi; Pœnus tibi colligit aurum,
Ebrius eoo vincit ut orbe deus.
Gentibus arbitrium data tu, formidoque regum,
Justa si cures sceptra tenere manu,
Æternum Jove fors teneas moderamen ab æquo;
Sed Fortuna tuî crimen amoris habet.
Non Samnis Brennusve domat, non Hannibal ipse:
Soli Roma tibi, sic tua fata, cadis.
Intrepidus ferro, voltus avertat ab auro:
Splendet, at insidias, quas basiliscus, alit.
Desuetus caruisse, pave, ne copia lædat!
Parendum cunctis, ni dominere tibi.
Luxuriat furiosa cupido, artisque parantur
Immenso pretio quæ probra pontus agit.

*) Nempe Fabricius.

Publica res venale, Midæ tibi, Crasse, fluentis:
Fastus regna, cibum plebs cupit et caveas.
Nomine sunt Scauri, Fabii; sed imago parentum
Vestibulo erubuit; degener inque dies
Stirps profert infecta genus. Prudentia vana!
Quæ male tabificas mole coercet aquas.
Torrens cuncta rapit: periit jus fraude; libido
Fit fera libertas, larvaque relligio.
Quæ mores animis casti sculpsere parentum,
Vanescunt, scriptæ sint licet ære notæ.
Roma, tuæ virtus si libertasque ruere,
Humani generis quid stet in orbe diu!
Sic quoque magna cadis: civili sæva cruore
Dum tua tela madent, squallida terra stupet
Unius indomiti pectus sublime Catonis.
Servitii probrum libera fata cavent.
Servat relliquias has virtus naufraga: nusquam
Zeno formavit robora tanta virum.
Usque ingens se vis virtutis prodere tentat,
Immodicum patrans, prodigiosa petens.
Mirari desueta ætas hiat ista stupendis:
Majestas Romæ, pectore pulsa, fugit
In fora nunc arcusque, theatra, peristyla, circos,
Quodcunque ars Grajum nobile struxit opus *).

*) Primæ editionis censor (in annal. litter. Heidelberg. a. 1818, n. 17) in verbis *nobile struxit opus* metri vitium sibi reperisse visus est; quare autem, neque ego intelligo, neque ipse

Saxea stant tecto miracula perque columnas;
Capta vehunt altæ vivida signa rates.
Nempe quod ornabat populos, urbs colligit una :
Quæ manibus finxit gratia Graja suis;
Quæ gravis Aegypti mens mystica : cæsa Syene,
Ad templum vigilant sphinxque nigerque leo;
Quemque eadem procul Æthiopum de rupe Sesostri
Miserat urbs, Solis nunc obeliscus arat,
Cum Nilo mutans Tiberim, freta; jamque salutat
Externi radiis æmulus astra poli.
Arcanas hodie frustra fert ille figuras;
Sed tamen et doceat, si cui nosse datum,
Mutantes annos, humanæ exordia mentis,
Clara ut regna ruant, ipseque nil sit homo.

dixit, auctorem modo citans Dawesium (Miscell. crit. p. 4.). Is mihi ad manum non fuit, adeoque, quid docuerit, ignoro; sed aut ipsum aut censorem errasse, pro certo habeo, collatis tribus locis, Propertii, II, 23, 12 : *nobile dentis opus*, Ovidii, R. A. v. 396 : *nobile debet opus*, et ejusdem, Art. Am. III, 289 : *inamabile stridet.*

Idem censor, quem vellem honoris causa hic nominare, æquum sane judicem et modestum, rara in censoribus virtute, ut vel ideo de doctrina ejus bene omineris : idem igitur alia quædam recte reprehendit, ne mihi quidem probata, et in hacce editione mutata. Fuit tamen, ubi ab eo dissentirem; velut in versu 121. in quo carpit *tollit immensum* (cf. *immensum crescere* apud Ovidium; *immensum attolli* apud Tacitum), in versu 233. ubi carpit *quid juvat* (cf. apud Propertium : *quid juvat ornato procedere, vita, capillo* etc.) in versu 256. Ubi miror illi tam vehementer displicuisse phrasin : *machina mundi Lethes horriferis laxa feretur aquis*, metuenti scilicet, ne *laxum* hic longe aliud et ridiculum lectoris animo offerret. At ego latine scribenti id magis videndum esse existimo, quid veteres (cf. Virgilii *laxis laterum compagibus* etc. et ejusdem *laxat claustra Sinon*) dixerint, quam quid in recentiorum aut linguis aut styli fastidio offendat. Fuit etiam, ubi verbis alium, quam ego volueram, sensum tribueret; velut in versu 280. nunc mutato, ubi *vel lacrymante* ad mentem auctoris, nec prorsus contra linguæ legem, intelligendum erat : *vel quum lacrymaris*, omisso scilicet pronomine.

Tollit at immensum nihil hoc vesana libido :
    Ausa tyrannorum sine modoque carent.
Ad sua plaudentem qui Romam flagra domabant,
    Nullum horrere nefas dira cupido sinit.
Quæ tulit ira deum, fumant altaria monstris :
    Calcandum numen cæde repente jacet.
Plebs infanda quidem sua sævum in corda tyranni
    Mucronem exacuit moribus ipsa suis.
Sæpe dies mensemque terens sedet amphitheatro :
    Densa tenet junctos nubibus ecce gradus!
Quos supra fluitat fragrantis purpura veli,
    Phœbi ne lædat mollia membra jubar.
At subter furor et gemitus; avidosque cruore
    Plaudentum voltus mors fremebunda beat.
Indignans scena pugnat leo : vilior actor
    Est illo servi servus ab ense cadens.
Deficiunt Libyæ deserta arentia fœtus :
    Lynx et hyæna, tigris; turriger ipse gemit,
Proditus, et lacerum corpus miserabile torquet,
    Olim qui Romæ sævus in arma ruit.
Lusus atrox! sese nescit sub imagine turba :
    Non libertatem jam sociosve tegunt,
Nec tumulos patrum, sed nutu gesta tyranni
    In circi turpes bella abiere jocos.
Ut quondam ludi pugiles, certante magistro,
    Oppositi, legio sic legione perit.

Imperium ſrustra vendunt prætoria probra;
Permutant emto sanguine servitium.
Illi, sub vastis olim queis ſinibus orbis
Barbaricas gentes laus domuisse ſuit,
Montanis ut aprum venator suscitat antris,
Nunc vallo timidum pectus ab hoste tegunt.
Et quam Parthus equis mittit geminantibus alas,
Dissipat in veram sæpe sagitta ſugam. *)
Ast, stimulante ſame, thos noto lætus odore
Noctem ululat, signum qua dat arena, sequens.
Hercynias quem sæpe lacessivere per umbras,
(Ingenti cornu nec doluere semel,)
Tandem cuncta ruens per retia prodiit urus,
Et regnis hostem jam petit ipse suis:
Non circi par ille feris, ſacilisque triumpho;
Ut patrii saltus asper ad arma vocat.
Jamque novi supra volvuntur Teutones Alpes:
Heu! ubi nunc Marius? Pallida, Vare, tua
Spectra sub extremo nutant ad tesqua Cheruscum
Agmine, Romuleis exitiosa minis.
Roma cadat; superum sic stant decreta deorum:
Judicium peragens Teutonus ensis adest.
Attila, conterrens procul, expugnare recusat:
Teutones huic socii; Roma tributa tulit.
Wandalicæ at Tibri veniunt Carthagine classes:

*) Non fictam, qualis sæpe Parthorum ſuga.

Volventi tantas sors dedit orbe vices.
Scipio quæ, Tyrias olim quum verteret arces,
Dum flammæ horrendum nocte ruina fremit,
Et rubros fertur clamor gemitusque sub auras,
Præsagus cecinit carmine Mæonidæ :
Olim lux veniet, qua Pergama sacra peribunt,
Insignisque hasta cum populo Priamus :
Jam fiunt. Mundi, heu! squallens regina stupensque,
Rudera vix timidum fert super atra caput.
Roma comes similisque hastam clypeumque Minervæ,
More levi zona præpes Amazonio,
Jussa Jovis quondam cristata casside vibrans,
Luget, sola super fracta tropæa sedens.
Vix tandem, quum vasta jacent spoliataque cuncta,
Horrendas noctes excipit orba quies.
Semirutis taciturna jugis ciet illa querelas,
Gramine quæ Tellus busta decente tegit.
Nunc placida extremæ labantur pace ruinæ :
Ad tectum vergunt pila trabesque suum.
Huc quondam surgens flexit Via Sacra : Capena
Victores porta quot tulit illa duces,
Agmina, per turbamque trahentes vincula reges,
Ad fremitus niveo sæpe pavente jugo;
Dum Capitolini sacros victoriæ honores
Ex voto condant aurea tecta Jovis!
Nunc deserta via est, merces ubi rure ferendo

Ductorem pascit languida mula suum.
En ibi quæ cunctis fecere Palatia nomen,
Unis qua dominis, unius aucta domus
Romulea veteres Roma jubet ire penates;
Luxum, insane Nero, nec capit illa tuum!
Nunc hederæ pallent circum fulgentia quondam,
Et supra frutices, vitis olusque tegunt.
Nunc frondatoris proles per balnea ludit;
Fornice cultoris rustica tela jacent.
Carpite, plena deo clamat Cumæa Sibylla,
Dardanio pandens inclyta fata duci,
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet : hic magnæ jam locus urbis erit. *)
Jam datur, en, iterum : semper volventibus annis,
Primævam faciem sæcula rettulerunt.
Per depressa illic Velabra calente quiescunt
Sole greges, ipso bos boat inque Foro,
En, sub Aventini pendente ut rupe virentes
Nil colles Caci pascere ad antra timent!
Geryonis dicas pecudes : hac corpora mole
Instar et hastarum cornua celsa ferunt.
Quo magis humanum pudeat genus. Hinc Quirites?
Nec pali, **) frænum nec tenuisse memor,
Se velut illudat, miseræ commercia vitæ

*) Versus bini Tibulli, II, 5, 57.
**) Cf. Vegetius de Re Mil. 1, 11.

Per Campum trepidans pallida turba facit;
Quo res cunque cadat, patiens spectare futurum;
Mendici prisci temporis atque sui.
Virginei recreet ni fontis Agrippa liquore,
Arcubus aerias per properante vias;
Urat tabentes sitientum Sirius artus,
Aut, ulvis circum quæ tepet unda, petant.
Fragmentis renovata nitent si templa vetustis;
Urna sepulchralis si stupet ara coli;
Marmore si viridi dederunt Pœnoque columnas;
Quid juvat? Augustum dent quoque pectus avi.
Sic Apennino quondam stetit arida quercus,
Bacchica quam stringens frons sociata, suo
Velavit frustra ramos mentita decore:
Non radicis alit vis reparata caput.
Sic donis natura libens hic ludit amœnis;
Sed cor iners refugit fortia facta patrum.
Ausa tamen priscis contendere plastica sæclis,
Condita Grajorum quum charis illa diu
Surrexit noctis gremio: mens ardua finxit,
Illis ne tellus fertilis una foret.
Finxit amans Raphael, Bonarotta prophetica volvens;
Intulit æthereis Pantheon ille plagis.
Læta sed hæc pariter lux est extincta: fuisti!
Quid superat præter, Roma, fuisse tibi?
Ac veluti nil speret, hians elabitur ætas,

Ceu tortis asinum funibus Ocnus alit. *)
Principii deus hic mutilus stat Claviger ipse :
Horrida caligo prospiciente sedet
Ore, juventutis quæ spem delevit; at alti
Aversam frontem ruga doloris arat.
Quæ dabit augurium volucris? torpore sepultis
Quæ nunc Romulidis fata Sibylla canet?
Num senio mundi labat inter somnia nostra
Lethes horriferis machina mersa vadis?
Æterna non urbe locus sit dignior, æqua
Si rerum finem cernere mente velis.
Sic prope pyramidem, Cestî monumenta, canebam,
Sensim inter tumulos dum minor umbra fugit.
Arva super pallam stravere crepuscula : circum
Tristia volventem funditur alta quies.
Tantum atræ longe mœstum gemuere cupressi,
Et mœstum pinus visa movere caput.
Non fremitus usquam; vitæ siluere tumultus;
Naturæ venam vix micuisse putes.
Ac pene horrebam, vivorum sede relicta,
Umbrarum vanos per loca ferre gradus.
Fax mœroris amica cadens regina diei!
Quum lux alma simul forma colorque perit.
Pallida cuncta silent, vitæ fugientis imago :

*) Cf. Pausanias in Phoc. pag. 345. Wechel. et Propertius, IV, 3, 19.

Non humilem terram spes super ulla levat.
Ac veluti vitam, nondum radiantibus astris,
Inter mortalem perpetuamque mora est.
Ast ubi jam sacra spem revocat Nox æthere splendens,
Post cineres lætam mens videt alta vicem.
Tale mihi, generosa comes, tua lumina quondam
Vibrabant lætum, sidera bina, jubar.
Candor inest illis; dii micat æstus amoris
Ipsis in lacrymis, quem videt itque dolor.
Nunquam desperet, dextram cui tendis amicam;
Vana vocent omnes quæ pia corda movent.
Alto animo teneroque colens pulchrumque bonumque,
Nosti majestas quid sit et alma charis.
Quodque tuum illecebris perfundit mille poetam,
Quæ gentes cohibent, transvolat ingenium.
Ergo avido divina reponam pectore dicta,
Quum fluit a labris ipsa Suada tuis.
Excelsos veteris nostri referemus et ævi,
Et sua quos virtus abstulit ipsa viros.
Inque sophis patriæ accendit quos cura salutis,
Quum subeat, teneri quis sit imago patris,
Erranti, ingrato lenis, sibi durior uni;
Cui velut humanum credita cura genus :
Sit sanctum meminisse viri, mihi nosse negatum
Quem fuit; ah! fletu quem gemis usque novo.

DISCOURS

POUR

L'OUVERTURE DU COURS

DE

LITTÉRATURE FRANÇAISE.

DISCOURS

POUR L'OUVERTURE

DU COURS DE LITTÉRATURE FRANÇAISE.

C'est toujours un nouveau plaisir pour l'homme éclairé d'arrêter sa pensée sur les efforts dont l'esprit humain est capable, sur les progrès des arts qui ont fait la gloire des empires, et qui, en dépit des paradoxes modernes, ont si puissamment contribué à leur bonheur. Ce spectacle, en offrant à nos yeux la véritable grandeur de l'homme, est bien propre à réveiller en nous les passions les plus nobles. Mais comme plus d'une fois l'histoire nous montre les arts retombant avec rapidité, du plus haut degré de splendeur, dans l'obscurité la plus profonde; si le passé nous offre des exemples flatteurs pour notre orgueil, il nous donne en même temps une leçon salutaire, et nous avertit des erreurs où pourrait nous entraîner notre faiblesse.

Il serait peut-être difficile de dire quelque chose de nouveau sur cette matière. Nous n'avons point cette prétention. Il n'est pas permis à tout le monde aujourd'hui d'être neuf. Forcés de répéter ce qu'on a déjà dit, puissions-nous ne redire que des choses vraies et utiles!

Personne n'ignore que les arts ont adouci les mœurs des peuples sauvages et formé le premier lien de la civilisation. Orphée, captivant par les charmes de sa voix les animaux féroces, est l'emblème de toutes les sociétés naissantes.

Sans doute il a fallu bien du temps pour dissiper les ténèbres de l'ignorance.

Les premiers progrès des arts ont dû être lents et presque insensibles. Les passions, l'habitude, la paresse, les préventions aveugles étaient des obstacles difficiles à vaincre. Triptolème qui inventa la charrue, Bacchus qui enseigna l'art de cultiver la vigne, furent payés d'ingratitude. Ces récits, dira-t-on, sont des fables : soit. Mais ces fables tiennent à des faits réels, et prouvent que pour le génie qui s'élève au-dessus de la foule, pour les bienfaiteurs de l'humanité, c'est peu d'imaginer des choses utiles; le plus difficile est de persuader aux hommes de consentir au bien qu'on veut leur faire.

Si nous remontons vers les temps reculés, l'Orient paraît être le pays le plus anciennement policé, et, par conséquent, celui où les arts et les sciences ont commencé à fleurir. On les voit briller également en Egypte; de là ces monumens plus faits pour étonner les yeux par leur grandeur colossale qu'à les satisfaire par la beauté de leurs formes. Les Grecs qui s'instruisaient à leur école, et qui devaient non-seulement les surpasser un jour, mais encore donner des modèles en tout genre au reste de la terre, les Grecs reçurent tout des étrangers, et perfectionnèrent tout. Cadmus leur apporta de la Phénicie l'art de fondre et de travailler les métaux; il leur fit connaître les caractères alphabétiques, moyen précieux de conserver les connaissances acquises et de les étendre.

Danaus, Egyptien, introduisit à Argos l'agriculture; Cécrops, autre Egyptien, bâtit la ville d'Athènes, et lui donna des lois, des arts, des mœurs, un culte, et l'aréopage.

Placés sous un beau ciel, les Grecs habitaient une contrée dont les aspects variés charment les yeux et parlent à l'imagination. Leurs institutions politiques et particulières mettaient sans cesse en mouvement leurs passions. Ajoutez à ces avantages la richesse, la souplesse, et, si je l'ose dire, la mobilité d'un langage auquel nul autre ne peut être comparé. Si la langue la plus parfaite est celle qui réunit les combinaisons les plus ingénieuses, la marche la plus régulière, la plus grande variété de tours, la plus grande abondance de termes simples ou composés, la prosodie la plus propre à exprimer les diverses affections de l'âme, enfin l'harmonie la plus agréable à l'oreille, la langue grecque est sans contredit la plus belle langue de l'univers.

« Chez les différens peuples, dit l'ingénieux et savant auteur du voyage d'Anacharsis, de toutes les qualités de l'esprit, l'imagination fut cultivée la première, parce que c'est elle qui se manifeste le plutôt dans l'enfance des hommes et des nations, et que chez les Grecs en particulier le climat qu'ils habitèrent et les liaisons qu'ils contractèrent avec les Orientaux contribuèrent à la développer. » Ils eurent des poètes long-temps avant d'avoir des orateurs. Ils célébraient en vers les dieux, les héros, les faits heureux ou funestes dont ils voulaient conserver la mémoire. A la tête de ces poètes se présente Homère qui seul a fourni deux fois d'un pas ferme la vaste et magnifique carrière de l'épopée; génie prodigieux dont les créations sublimes, après trente siècles, brillent encore du même éclat, et dont la couronne immortelle se compose non-seulement des lauriers qui lui sont propres, mais encore des lauriers de ses successeurs; en effet en est-il un seul qui ne lui doive une partie de sa gloire.

D'autres poètes, il est vrai, avaient ouvert la route qu'il parcourut à pas de géant; déjà Musée, Linus, Orphée avaient rendu leurs noms célèbres; mais on n'en a pas moins de peine à concevoir comment il put parvenir à cette hauteur où peu de poètes ont pu atteindre, et au-delà de laquelle aucun n'a pu s'élever. Hésiode, qui suivant l'opinion commune, fut le contemporain de ce grand homme, mais non pas son égal, chanta en beaux vers la généalogie des dieux et l'agriculture. Il a droit à nos hommages comme poète; mais son plus beau titre à la reconnaissance de la postérité, c'est d'avoir donné à Virgile l'idée du poëme admirable des géorgiques, ainsi que l'auteur romain le témoigne lui-même :

Ascræumque cano romana per oppida carmen.

Long-temps après Homère on vit fleurir Tyrtée dont les poésies ne respiraient que l'amour de la patrie et le mépris de la mort; l'énergique Alcée, la tendre et malheureuse Sapho, Anacréon, le poète des amours et des plaisirs, Pindare, le sublime Pindare, et cette fameuse Corinne qui non-seulement osa être sa rivale, mais qui eut encore la gloire de vaincre plusieurs fois celui qu'Horace et la postérité ont nommé le plus grand modèle de la poésie lyrique.

En même temps que le génie des Grecs se signalait dans la brillante carrière de la poésie, des philosophes étudiaient les principes de la morale, et cher-

chaient à approfondir les mystères de la nature. Quelques-uns même, par leur savoir et sur-tout par leur sagesse, méritèrent d'être choisis pour donner des lois aux peuples. Lycurgue, Solon, et après eux Charondas et Zaleucus obtinrent cet honneur. Pythagore, sur qui on a débité tant de fables, établissait sa doctrine, et renonçait au titre fastueux de sage pour prendre le titre plus modeste de philosophe. Thalès, Anaximandre se livraient à l'étude de la géométrie et de la physique, et au milieu d'une foule d'erreurs, ils faisaient quelques découvertes utiles.

Les Grecs n'avaient point encore une suite d'annales qui leur offrît dans un ordre méthodique l'histoire des nations étrangères et celle de leur propre pays. Long-temps ils ne connurent, comme on l'a déjà dit, les faits des temps passés que par des traditions ou par des récits en vers qui se bornaient aux faits les plus mémorables. Nous ne parlerons point de Pherecyde et de quelques autres historiens qui recueillirent ces traditions particulières relatives à une ville ou à un peuple. Leurs travaux ont péri. Hérodote le premier conçut le projet d'exposer aux yeux des ses contemporains, dans une suite de tableaux pleins d'intérêt et rapprochés avec art, l'histoire des Grecs, des Perses et des principaux peuples de l'univers. La Grèce entière assemblée aux jeux olympiques, entendit la lecture de cet ouvrage. Ravie de cette nouveauté, elle applaudit avec transport à des récits embellis des charmes de l'éloquence, et combla d'honneurs l'historien qui l'entretenait de sa gloire. Thucydide, jeune encore assistait à cette lecture; son enthousiasme et les larmes d'admiration qu'il versa annoncèrent à ses concitoyens le successeur d'Hérodote.

Cette période à laquelle on a donné le nom de siècle de Périclès et d'Alexandre et qui embrasse un espace d'environ cent cinquante ans est une des plus remarquables dans l'histoire de l'esprit humain. Elle ne donna point naissance à un nouvel Homère : quelle nation peut se glorifier d'avoir vu briller deux phénomènes de cette espèce ? mais elle offre la réunion éclatante de tous les arts et de toutes les sciences. Alors l'énergique et sévère Thucydide traçait le tableau de la guerre du Péloponèse, de cette guerre funeste qu'on peut regarder comme la première cause de la décadence et de la ruine de la Grèce; Xénophon qu'immortalise i

double titre la fameuse retraite des dix mille, Xénophon qui joignit à la gloire du guerrier les vertus du sage et les talens de l'homme de lettres, répandait dans ses ouvrages cette douceur d'élocution qui l'a fait surnommer l'abeille grecque, et qui depuis fit dire à l'orateur romain que les muses semblaient avoir parlé par la bouche de ce grand homme. Déjà le père de la tragédie, le terrible Eschyle avait substitué aux tréteaux de Thespis un théâtre digne du nouveau spectacle qu'il offrait à la Grèce étonnée; déjà il avait fait entendre sur la scène une poésie mâle et éloquente. Sophocle et Euripide perfectionnèrent un art qui fit les délices d'Athènes et qui est devenu un besoin pour les nations civilisées. Le malin et spirituel Aristophane, dans ses comédies satiriques, versait le sel à pleines mains; mais il faut l'avouer, sa muse sans pudeur qui n'épargnait ni les hommes ni les dieux, ne craignit point d'immoler à la risée publique la vertu même dans la personne de Socrate. La multitude légère pardonnait à son audace en faveur de ses bons mots, et riait à la vue du tableau fidèle qui lui retraçait à elle-même ses défauts ou ses ridicules. Ménandre plus sage se bornant à peindre les erreurs et les vices de la nature humaine, s'abstint de la censure directe contre les particuliers; par lui la comédie moins redoutable devint plus décente, prit une forme plus régulière, et fut plus utile. Périclès, par le talent de la parole, autant que par son adroite politique et par ses services militaires, exerça, pendant près de quarante ans, un empire presque absolu sur le peuple du monde le plus inquiet, le plus inconstant, le plus frivole, et en même temps le plus jaloux de sa liberté. Isocrate s'occupait laborieusement à donner à ses discours le nombre, la cadence et l'harmonie. Démosthène, qu'il suffit de nommer, forçant la nature à lui accorder ce qui lui manquait pour être le plus parfait des orateurs, faisait tonner à la tribune la voix de l'honneur et de la patrie, réveillait le courage des Athéniens dégénérés, retrempait leur âme énervée par les plaisirs, et faisait tomber à ses pieds des rivaux dignes eux-mêmes de servir de modèles : homme étonnant qui, pour tout dire en un mot, a seul rempli l'idée que le plus éloquent des Romains se faisait de la véritable éloquence. Hippocrate, instruit par les leçons de son père Héraclide, par l'étude de la physique, et sur-tout par celle du corps humain, fut pour l'antiquité, comme

il l'est encore pour les peuples modernes, l'oracle et le législateur de la médecine; Anaxagore, qui eut pour disciple Périclès, osa pénétrer dans les profondeurs de la métaphysique, et s'éleva jusqu'à la connoissance d'un être suprême créateur de l'univers; Socrate confondant les sophistes, enseignait la sagesse dont il était lui-même le modèle : heureux si Athènes n'eût pas renfermé dans son sein des ennemis de la raison et de la vertu! Platon, disciple de Socrate, développait les leçons de son maître, sans courir les mêmes dangers; son imagination brillante donnait à la philosophie le langage séduisant de l'éloquence; charmés des beautés de son style, les Athéniens revenus de leur délire, applaudissaient le panégyriste du sage qui avait été leur victime. Aristote, fameux par la variété et par l'étendue de ses connoissances, établissait les principes du raisonnement, de la politique, de la morale, de la poésie et de l'art oratoire, et secondé par la munificence d'un roi son élève, traçait le vaste plan de l'histoire de la nature. Dans toutes les villes de la Grèce s'élevaient de superbes édifices dont les débris précieux attestent encore de nos jours les prodiges de l'architecture. Les peintures de Polignote, de Parrhasius, de Zeuxis et d'Apelle décoraient les portiques et les temples des dieux. Sous le ciseau des Phidias, des Praxitèles, on vit éclore ces merveilles qui semblent avoir fixé les limites de l'art, et dont les restes échappés au ravage du temps ou aux atteintes plus destructives de l'ignorance, seront à jamais le modèle du vrai beau.

Après la mort d'Alexandre, la cour des Ptolémée devint l'asyle des arts. Théocrite y composa des idylles remplies de cette grâce naïve dont le charme se sent mieux qu'on ne peut le définir; Callimaque des élégies renommées pour la délicatesse, l'élégance et la noblesse du style, mais qui ne sont pas parvenues jusqu'à nos jours, et des hymmes dont nous n'avons conservé qu'un petit nombre. A peu près dans le même temps Archimède étonnait Syracuse par ses prodiges de mécanique et par ses découvertes dans les sciences de calcul. Bientôt Rome qui marchait à grands pas à la conquête du monde, voulut, après avoir surpassé les Grecs par ses exploits militaires, les égaler dans les arts de la paix.

Rome, pendant cinq cents ans, uniquement occupée du soin d'affermir et d'é-

tendre sa puissance, montra la plus grande indifférence pour les arts et pour les sciences. La Grèce lui apprit qu'il est encore une autre gloire que celle des armes. Cette nation savante et polie protégée d'abord par la politique astucieuse des Romains et bientôt engloutie dans leur vaste empire, subjugua ses farouches vainqueurs :

Græcia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio.

« Ses lumières et son goût pour les lettres, la philosophie et les arts, dit l'abbé de Mably, la vengèrent, pour ainsi dire, de sa défaite, et soumirent à leur tour l'orgueil des Romains; les vainqueurs devinrent les disciples des vaincus, et apprirent une langue que les Homère, les Pindare, les Démosthène, les Platon, les Sophocle et tant d'autres avaient embellie de toutes les grâces de leur esprit. Des orateurs qui charmaient déjà Rome allèrent puiser chez les Grecs ce goût fin et délicat et ces secrets de l'art qui donnent au génie une nouvelle force; ils allèrent, en un mot, se former au talent enchanteur de tout embellir. Dans les écoles de philosophie où les Romains les plus distingués se dépouillaient de leurs préjugés, ils apprenaient à respecter les Grecs; ils rapportaient dans leur patrie leur reconnoissance et leur admiration, et Rome rendait son joug plus léger : elle craignait d'abuser des droits de la victoire, et par ses bienfaits distinguait la Grèce des autres provinces qu'elle avait soumises. Quelle gloire pour les lettres d'avoir épargné au pays qui les a cultivées des maux dont ses législateurs, ses magistrats et ses capitaines n'avaient pu la garantir! Elles sont vengées du mépris que leur témoigne l'ignorance, et sûres d'être respectées, quand il se trouvera d'aussi justes appréciateurs du mérite que les Romains. »

La révolution qui adoucit les mœurs de cette nation guerrière commença par des essais faibles et grossiers; il fallut de longs efforts pour faire disparaître les traces de l'ancienne barbarie, puisqu'Horace se plaint d'en retrouver encore dans l'âge le plus brillant des lettres latines : *hodièque manent vestigia ruris.* Nous ne parlerons pas d'Ennius et de plusieurs autres écrivains dont Quintilien

a dit : *illos sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora jàm non tantam habent speciem, quantam religionem.* Plaute et Térence furent les premiers qui, en imitant les Grecs, firent craindre à leurs maîtres de trouver à Rome de dignes rivaux; Plaute plus gai, plus vif, plus varié dans ses compositions dramatiques; Térence, plus décent, plus élégant, plus noble, imitateur plus judicieux de la nature, plus fidèle dans la peinture des mœurs et plus cher à l'homme de goût pour la délicatesse des sentimens, pour les agrémens et la pureté de son style.

L'éloquence à son tour se fit entendre à la tribune et dans le barreau romain; Caton le censeur, les Gracques, Scipion, Lelius cultivèrent cet art dont l'empire est si puissant dans les républiques. Les heureux efforts des Antoine, des Crassus, des Cotta, des Sulpicius lui firent faire de rapides progrès. Enfin on vit naître ce siècle fameux, le second dans l'histoire des beaux arts, où brillèrent tant de génies divers, poètes, orateurs, historiens, dont les ouvrages sont nos délices, et qui firent de ce siècle l'âge d'or de la littérature latine. Lucrèce osa expliquer en vers souvent pleins de force et de noblesse la physique ou plutôt les erreurs d'Epicure. L'esprit, la grâce et le sentiment respirent dans les vers de Catulle et du plus aimable des poètes élégiaques. Salluste donnant à l'histoire une éloquence nouvelle, fit admirer la concision, la vigueur de son style et la vivacité de ses peintures. Alors parut semblable à cet astre qui éclipse tout par son éclat, l'illustre Tullius, dont le nom rappelle tout ce que l'éloquence a de plus sublime et de plus exquis; citoyen vertueux dans un siècle de corruption, qui joignit à la gloire d'être le premier des orateurs de Rome la gloire non moins belle d'en être le sauveur. On vit briller avec lui dans la carrière du barreau Brutus, Messala, Hortensius, et cet homme né pour exceller en tout, César, qui peut-être aurait égalé Cicéron s'il n'avait préféré d'être le plus grand des guerriers. Tite-Live offrait le modèle de l'historien accompli. Ovide déployait, sur-tout dans ses métamorphoses, cette vivacité d'esprit, ce luxe d'imagination, cette abondance peut-être excessive qui le caractérisent. Un de ces génies privilégiés que la nature comble de toutes ses faveurs, l'ami de Mécène, rival heureux de Pindare et d'Anacréon, Horace, le poète de

la raison et des grâces, chantait tour à tour les dieux et les héros, rendait aimables les conseils de la sagesse, effleurait d'un trait léger le ridicule et la sottise, et prononçait les oracles du goût. Virgile composait ses églogues, son chef-d'œuvre inimitable des Géorgiques et sa divine Enéide, et Rome n'eut plus rien à envier à la Grèce.

Auguste, maître paisible de l'empire, avait protégé les arts. Sa mort leur fut fatale. Néron montra du goût pour les productions du talent, mais il préféra souvent les plus frivoles et devint jaloux du mérite qu'il ne pouvait égaler. De son temps vécurent Sénèque le philosophe, écrivain ingénieux, mais dont le style semé de faux brillans et d'antithèses contribua à corrompre l'éloquence; l'auteur de la Pharsale, poème rempli de pensées mâles et hardies et de peintures nobles, mais dont quelques-unes excèdent les bornes du naturel; Perse, écrivain énergique, austère dans sa morale, plein de sens, mais quelquefois obscur.

Le règne de Trajan vit fleurir l'éloquent panégyriste de ce prince, Pline, neveu du célèbre naturaliste; Quintilien qui, dans ses leçons sur l'éloquence, joint souvent l'exemple au précepte, Martial auteur d'un recueil d'épigrammes, où le bon est mêlé avec le médiocre, pour ne rien dire de plus : Juvénal, le plus vigoureux, le plus véhément des poètes que la haine du vice arma du glaive de la satire; Plutarque, historien et philosophe grec, dont les ouvrages pleins de candeur sont une source inépuisable de plaisir et d'instruction; et cet admirable Tacite dont l'œil perçant pénétra jusque dans les derniers replis du cœur humain, qui peignit avec tant de force les mœurs des Romains asservis, la politique sombre ou la cruauté féroce de leurs nouveaux maîtres, les intrigues ténébreuses et les orages des cours, Tacite qui, pour me servir des expressions d'un écrivain moderne, a donné à l'histoire le caractère le plus auguste, et dont le nom seul doit faire pâlir les mauvais princes et les ennemis de la vertu.

Déjà depuis long-temps la corruption du goût faisait des progrès à Rome. L'amour de la nouveauté, la manie de montrer de l'esprit, le désir de se distinguer, et plus que tout le reste l'impuissance d'égaler les grands maîtres,

entraînaient les écrivains loin des routes tracées par les anciens. Un petit nombre de bons esprits luttait encore contre les efforts de l'ignorance audacieuse. Quelques génies du premier ordre, tels que ceux dont on vient de parler, conservèrent la gloire des lettres romaines ; mais ils ne purent arrêter le torrent qui s'avançait de jour en jour. Les écoles des déclamateurs enseignèrent à accumuler des paroles sans s'occuper du fond des choses ; on substitua au naturel un jargon pointilleux ; de froides amplifications prirent la place de l'éloquence. La poésie altérée par les mêmes causes eut le même sort ; sa chute ne fut pas moins rapide ; de faibles lueurs brillant par intervalle, rappelèrent quelquefois l'art de Virgile et d'Horace, mais non pas leur génie.

Cependant, au milieu de cette décadence générale des beaux arts, la religion chrétienne ranima l'éloquence expirante, et donna naissance à un genre de composition inconnu aux anciens. Alors parurent avec éclat chez les Grecs, les Basile, les Grégoire de Nazianze, les Chrysostôme, chez les Latins, les Jérôme, les Augustin, dont les écrits pleins de force, de douceur et de noblesse firent penser que les chrétiens avaient aussi leur Platon, leur Isocrate et leur Démosthène. Malheureusement ces beaux jours de l'éloquence chrétienne furent de peu de durée ; bientôt on cessa de prendre pour modèles les écrits des grands orateurs ; la discorde ensuite troubla les églises, on ne s'occupa plus que de subtilités, et de disputes frivoles et dangereuses. D'un autre côté, le débordement des barbares du nord acheva d'éteindre en Italie le génie de l'éloquence et de la poésie ; leur ignorance féroce détruisit les monumens des arts, ils corrompirent jusqu'à la langue des vaincus et enfin y substituèrent leur propre langage ; le fléau sans cesse renaissant de la guerre, les révolutions fréquentes, la misère des peuples uniquement occupés du soin de défendre leur existence incertaine, le pillage des monastères et la perte des trésors littéraires dont ils étaient enrichis, toutes ces causes concoururent à épaissir les ténèbres qui couvrirent l'occident pendant plusieurs siècles.

Charlemagne, dont les armes avaient subjugué une partie de l'Europe, essaya d'en bannir la barbarie, mais il ne put faire fleurir les sciences et les arts qu'il aimait. Alcuin, Amalarius, Angilbert, admirés dans leur siècle, étaient peu

propres à seconder ses vues. Après sa mort, on abandonna ses projets. Au faible jour qu'il avait fait luire succéda la nuit la plus profonde. Alors cependant le flambeau des arts parut se rallumer dans l'Asie. Les Arabes effectuaient ce qu'on avait vainement tenté en France : ils eurent des poètes, on cultiva parmi eux la chimie et l'astronomie. Il est vrai qu'ils abondèrent en alchimistes et en astrologues; mais ils cultivèrent avec fruit la médecine, ils portèrent assez loin les sciences exactes.

Les Califes, après avoir joué un grand rôle sur la scène du monde, affaiblis par les déchiremens de leur vaste empire, par les divisions intestines et par la mollesse, ne conservèrent plus que l'orgueil de leur rang et ce faste somptueux qui décore le trône, mais qui ne le défend pas. Ils succombèrent sous l'effort des sultans aguerris par l'habitude des combats et par des victoires.

L'empire romain en orient éprouva bientôt le même sort. Les restes expirans de cette puissance qui avait donné des lois au monde se réduisaient à l'étroit espace renfermé dans les murs de Constantinople. Mahomet II prit cette ville et en fit la capitale de ses états. Les faibles débris des sciences et des arts qu'elle conservait encore dans son sein, forcés de s'exiler d'un séjour devenu barbare, allèrent chercher ailleurs la paix et la sécurité. L'Italie qui avait déjà vu naître Dante, Pétrarque et Boccace, devint leur asyle. Les Médicis simples citoyens qui, comme le dit La Harpe, dûrent à leurs qualités généreuses et à leurs services l'honneur de monter sur le trône de la Toscane, et l'avantage plus précieux de faire le bonheur et la gloire de leur patrie, les Médicis appelèrent auprès d'eux les savans et les artistes de Bysance, encouragèrent tous les talens, les cultivèrent eux-mêmes, et méritèrent de donner leur nom au troisième âge célèbre dans les annales du goût. Alors les lettres et les arts prirent un essor également rapide. Le génie, échauffé par la contemplation des modèles de l'antiquité, osa lutter avec ces grands modèles, et cette lutte heureuse produisit des chefs-d'œuvre. Alors, au milieu des monumens du siècle d'Auguste, s'éleva dans Rome ce hardi monument du génie de Bramante et de Michel Ange, ce colosse de l'architecture qui semble défier le génie de l'antiquité; alors on vit éclore les productions sublimes des Raphaël, des Titien, des Véronèse et de

tant d'autres artistes fameux qui seront à jamais l'honneur de la moderne Italie, et ces deux poëmes du Tasse et de l'Arioste, si différens, mais peut-être également admirables, et qui suffiraient seuls pour éterniser sa gloire.

L'imprimerie, inventée vers le milieu du 15ème. siècle, contribua puissamment à répandre le goût des sciences et des lettres, en multipliant les écrits des anciens, en établissant une correspondance facile et prompte entre tous les hommes instruits ou avides de s'instruire. Les avantages que nous devons à cette importante découverte sont inappréciables. Grâces à ce bel art, nous n'avons plus à craindre le retour de la barbarie. Quelques pertes que des hasards funestes puissent nous faire éprouver, les chefs-d'œuvre de l'esprit humain, répandus dans toutes les parties de la terre, ne peuvent plus être anéantis, à moins qu'ils ne deviennent la proie d'une conflagration universelle. Ce n'est point ici le lieu de parler de l'abus qu'on peut faire de l'imprimerie. J'avoue qu'elle est plus souvent l'interprète de la sottise aveugle que de la sagesse éclairée; je sais qu'elle a propagé plus d'une doctrine funeste; je sais que tous les jours elle sert à insulter en mille lieux à la fois ce même génie dont elle immortalise les productions : je sais.... mais quel est le bienfait utile dont la folie des hommes n'ait pas abusé?

En France, un monarque jeune, avide de gloire, François I appelait les arts autour de son trône. Ce prince allait chercher le mérite jusque chez ses ennemis. Cette faveur déclarée qu'il accorda aux talens, dit le président Hénaut, lui valut à son tour les éloges qu'il méritait, et ce qu'on doit remarquer comme une chose qui fait également honneur à ce monarque et aux lettres, c'est qu'il s'honora du titre de leur protecteur. S'il n'obtint pas tout le succès que méritait son zèle, c'est à lui du moins qu'appartient la gloire d'avoir jeté ces germes heureux qui attendaient un autre siècle pour se développer.

Dans l'intervalle qui s'écoula depuis le règne de ce prince jusqu'au temps du cardinal de Richelieu, on vit les écrivains français occupés sur-tout du soin de perfectionner leur langage. Les tentatives laborieuses de quelques-uns d'entr'eux ne furent pas heureuses. Baïf et autres qui voulurent faire des vers français sur la mesure des vers grecs et latins, ne s'apercevaient pas que chaque langue a son génie et des formes particulières, si je l'ose dire, qu'il est impossible de

transporter dans une autre : ils ne réussirent qu'à se rendre ridicules. Cet essai, renouvelé de nos jours, n'a pas eu plus de succès. La langue française était dès-lors assez abondante, mais peu flexible, et, par conséquent, peu propre à se prêter également à tous les genres. Son caractère dominant était une certaine naïveté douce, et quelquefois assez piquante, qui nous fait lire encore avec plaisir quelques poésies de ce temps. Montaigne sut en faire un instrument docile qui obéit sans effort à sa pensée; il l'enrichit d'un grand nombre de tours et d'expressions heureuses; il lui donna une originalité pleine d'énergie, et telle que son livre perdrait beaucoup de son prix, si on lui donnait le langage de nos jours. Car le style fait l'écrivain, et l'on ne peut changer sa manière d'écrire sans changer sa physionomie.

La poésie dut à la lyre de Malherbe cette harmonie qui est un de ses plus beaux attributs. Plusieurs strophes de ses odes peuvent être placées à côté des meilleures strophes du célèbre Rousseau. Nous ne parlons pas de ses défauts, ils appartiennent à son temps. Balzac, à son tour, fit connaître le nombre dans la prose. Plus sensible à l'harmonie que judicieux dans l'usage qu'il en sut faire, il la porta dans le commerce épistolaire, comme dans le genre oratoire, et le désir exagéré de flatter l'oreille le rendit ampoulé, lorsqu'il aurait dû se contenter d'être simple et naturel. Mais il faut oublier l'abus en faveur du bienfait. Lingendes fit entendre dans la chaire des discours où brillent quelques traits d'une véritable éloquence. Nous ne parlerons pas de plusieurs autres écrivains dont il faut louer les efforts plutôt que les succès; ils ne sont guère cités de nos jours que pour avoir préparé la route aux grands écrivains du siècle de Louis XIV.

Ce siècle fameux vit s'élever tout à coup une foule de grands hommes dans les beaux arts et dans les sciences. Corneille leur donna le signal. C'est lui dont le génie sublime semble avoir enflammé celui des orateurs aussi-bien que des poètes. Racine son émule, Racine, dont la poésie enchanteresse rappelle la poésie de Virgile, donna l'idée de la perfection accordée à l'esprit humain. Pascal, homme extraordinaire à l'âge où les autres ne sont rien encore, se montra tout à la fois géomètre distingué, dialecticien profond, écrivain éloquent. Bossuet, ou l'éloquence elle-même, Bossuet, qui n'eut point de modèle, en annonçant

aux rois de grandes vérités, se créait à lui-même une langue digne de la divinité dont il est l'organe. Bourdaloue faisait triompher la religion par sa puissante logique; Masillon la faisait aimer, en s'emparant des cœurs par un pathétique affectueux et tendre, et par la mélodie noble et touchante de son style. Le vertueux auteur du Télémaque déployait sa belle âme et son imagination féconde dans cet ouvrage immortel qui semble avoir été inspiré par le génie d'Homère, et où la prose se montre la digne rivale de la poésie. Despréaux était le fléau de la sottise, l'oracle de la raison et le législateur du parnasse français. La Bruyère, tour à tour penseur profond ou peintre énergique, montrait l'homme en action, ou dévoilait les ressorts cachés qui le font agir. Molière mettait sur la scène le Misanthrope et le Tartuffe.

A côté de tous ces hommes illustres, un auteur original, quoiqu'il n'ait rien inventé, l'inimitable Lafontaine, dans un genre plus simple, faisait tous les jours un chef-d'œuvre, et s'avançait avec eux vers l'immortalité, sans y prétendre. Quinault régna sur la scène lyrique où il reste encore sans égal. Rousseau mérita par ses belles odes le nom de Pindare français. Des académies savantes conservaient le dépôt du bon goût, et hâtaient les progrès de toutes les connaissances humaines. L'instruction, devenue plus commune, rapprochait les hommes jusqu'alors séparés par l'opinion ou par l'habitude. Une communication plus générale répandait le goût de ces plaisirs délicats qui font le charme et l'embellissement de la vie.

Après cette période mémorable, il semble que la nature, fatiguée d'avoir produit tant de grands hommes, devait se reposer. Mais le siècle suivant fit voir qu'elle n'était pas épuisée. De nouveaux athlètes se présentèrent dans la lice où leurs devanciers avaient paru avec tant de gloire, et prouvèrent qu'il restait encore plus d'un laurier à cueillir.

Plus d'une fois des passions particulières ont dicté les jugemens qu'on a portés sur le dix-huitième siècle. De là cette variété d'opinions par rapport à des écrivains dont la plupart ont été connus des hommes de nos jours. Peut-être le moment n'est-il pas venu où la voix impartiale de l'équité puisse se faire entendre. On pense encore à l'homme, en parlant de ses ouvrages, et nous confondons ce

qu'il faudrait séparer. Quoi qu'il en soit, l'âge qui a porté les Buffon, les Voltaire, les J. J. Rousseau, les Montesquieu, les Condillac, a laissé des monumens glorieux et durables. Les beaux arts n'ont pu franchir, dans cette période, le degré de hauteur où ils s'étaient élevés sous Louis XIV, mais quelques branches de la littérature se sont étendues et perfectionnées. Les sciences qui appartiennent au raisonnement ont acquis de plus grands développemens; la nature a été mieux connue; les sciences d'observation et de calcul ont fait des progrès immenses; la méthode de l'instruction, perfectionnée et devenue plus simple, a propagé les connaissances qui, jusqu'alors, ne semblaient accessibles qu'à un petit nombre d'hommes privilégiés; les lumières, plus répandues, ont pénétré dans toutes les classes de la société; et servi les intérêts des particuliers et ceux de l'état, en multipliant les hommes utiles.

On ne peut se dissimuler que, dans les beaux arts, toutes les parties ne sont pas inépuisables. Les hommes de génie qui viennent les premiers ont de grands avantages : ils s'emparent de ce qu'il y a de plus exquis, pour le mettre en œuvre; leurs successeurs fouillent une mine déjà exploitée, ils y trouvent peu de richesse, et avec plus de travail, ils obtiennent moins de gloire. Cependant gardons-nous de partager la triste erreur de ceux qui s'imaginent qu'on a tout fait, qu'on a tout dit. Loin de nous cette pensée décourageante, et injurieuse à l'esprit humain. Si la lumière des lettres s'est éclipsée un moment au milieu des orages, elle ne s'est point éteinte. Il n'y a pas long-temps encore que nous écoutions la voix harmonieuse du chantre de l'imagination, de l'élégant traducteur de Virgile. Plus d'un heureux essai nous atteste que l'art de Racine et celui de Molière ne sont point oubliés; l'éloquence offrira toujours un champ vaste et presque illimité. Mais le talent de l'orateur, à la vérité, ne suffit pas, il faut encore le concours des circonstances.

L'homme digne d'écrire l'histoire ne manquera pas de matière : nous n'avons point encore de Tite-Live ni de Tacite : c'est dire assez quelle palme honorable il reste encore à cueillir. Qui sait ce que l'avenir nous réserve? les bonnes études sont protégées : la culture assidue des sciences et des arts nous doit faire espérer de nouveaux fruits.

Nous nous bornons pour le moment à vous tracer cette esquisse rapide : elle recevra un jour de plus grands développemens. L'histoire plus détaillée des grands hommes, et sur-tout l'étude de leurs ouvrages, achevera de nous les faire connaître.

Nous avons vu l'esprit humain prendre un essor sublime ; nous avons vu bientôt après des hommes médiocres surprendre l'admiration de leurs contemporains, et leur faire négliger les chefs-d'œuvre des grands maîtres, pour des productions plus brillantes que solides. Les uns subsistent toujours avec le même éclat, le temps a fait justice des autres. Pourquoi les écrits d'Homère et de Virgile, de Cicéron et de Démosthène, ont-ils obtenu le suffrage de tous les siècles ? Pourquoi serviront-ils à jamais de règle commune à tous les peuples, quelle que soit la différence des temps, des pays et des mœurs ? C'est qu'ils portent tous le sceau de la nature. Or la nature est la même dans tous les temps et dans tous les lieux. Changez les noms d'Achille, d'Hector, de Priam, d'Andromaque, de Didon, de Nisus et d'Evandre, vous retrouverez dans le cœur humain les passions qui les animent, vous reconnaîtrez toujours le langage de la vérité. C'est dans cette source que puisèrent Homère et Virgile, pour répandre tant d'intérêt dans leurs poëmes immortels ; c'est-là que les deux plus grands orateurs de l'antiquité puisèrent ces traits d'une vive éloquence, qui armèrent les Athéniens contre les entreprises de Philippe, et les Romains contre les attentats sacriléges du féroce Catilina.

Profitons des exemples que nous donnent les âges précédens. Si nous voulons nous préserver de leurs erreurs, conservons dans toute leur pureté les principes du bon goût ; ne nous laissons pas éblouir par un éclat éphémère, prenons le vrai pour guide, et nous serons sûrs de ne pas nous égarer. Il faut sans cesse le répéter :

Rien n'est beau que le vrai, le vrai seul est aimable.

Les matières dont nous allons nous occuper réunissent l'utile et l'agréable. Ici le travail porte avec lui sa récompense. Ce cours a pour objet le développement des principes de l'éloquence et de la poésie. Tous les jours, les chefs-d'œu-

vre des orateurs et des poètes français nous donneront lieu d'en faire l'application. Quelquefois de courts résumés que vous pourrez faire vous-mêmes, serviront à vous rappeler ces principes, et à les graver plus profondément dans votre esprit. Quelquefois aussi des analyses ou des compositions sur des sujets donnés vous fourniront l'occasion d'essayer vos propres forces. Ce cours joint à ceux de littérature ancienne et de philosophie, sera le complément de vos études littéraires.

LEOPOLDI-AUGUSTI WARNKŒNIG

ORATIO

DE STUDII JURIS ROMANI UTILITATE AC NECESSITATE

PUBLICÈ HABITA

Diè IV Novembris MDCCCXVII,

cùm

IN UNIVERSITATE LEODIENSI

LECTIONES JURIS ROMANI SOLENNITER APERIRET.

ORNATISSIMI

OMNIUM ORDINUM AUDITORES!

Si novi pro civitatis et totius vitæ civilis prosperitate instituti in republicâ ordinatio graviore consideratione digna debet haberi, magna res est, ad quam auspicandam in hoc amplissimo loco solenni consessu hodiè congregati sumus. Est enim solenniter aperienda nuper instituta Universitas, nova literarum artiumque ingenuarum sedes in nobilissimâ Leodiensium civitate per regiam Augustissimi Principis munificentiam posita ad uberrima et florentissima Mosæ littora; hæc hodiè nos convocat ad inaugurandas scholas, in quibus posthàc omnium doctrinarum et honestarum artium disciplinæ, arctissimo inter se vinculo junctæ, et cupidæ studiorum juventuti et omnium ordinum auditoribus tradentur. Intermissa enim diu omnium populorum, multorumque sæculorum vetus consuetudo, studiorum tractatio Universitatibus propria, felicissimis auspiciis jam in vitam revocari, diversarum doctrinarum hucusque interrupta consociatio restitui, et ad nobile quodque studium et ad quemque honorem aditus aperiri cœpit. Ità temporum nostrorum tempestatibus sedatis, pacis felicissimâ, et ùt ajunt, aureâ ætate reflorescente hæc artium palæstra redux, et Musarum laurea

revirescere jam ampliùs non timet. Est igitur, cur gaudeamus magnâ hâc institutione ità ordinatâ, quæ, vigentibus lætè studiis, eruditionis gloriâ prospera quæque et præsenti ætati et omni posteritati pollicetur.

Universitatibus enim cunctæ Europæ nostræ gentes et civitates omnem eam, de quâ gloriari iis licet, eruditionis scientiæque abundantiam debent. Religionum eæ fuêre fulcimenta, literarum sacrarum et omnis rei divinæ dignissimæ præsides et cultrices. Philosophiæ lumina in earum Gymnasiis orta sæculorum barbarorum nocte fugatâ, ad omnes populos diffusa sunt. Ab iisdem, quæ cæteræ divinarum et humanarum rerum sunt disciplinæ, quibus vita civilis ornatur et beata redditur, omnes ferè originem ducunt. Ne loquar de resuscitatâ medicâ arte in *Salernitanâ* quondam Academiâ, è quâ in totum terrarum orbem propagata est. Neque de earum doctrinarum institutione dicam, quibus occultas naturæ cognoscere causas, vel quibus docemur, quæ sint reipublicæ benè ordinandæ et administrandæ mysteria. Universitates fuêre literarum humaniorum apud populos recentiores restauratrices ac fautrices, veterum ingeniorum memoriam in temporum barbarie deperditam revocantes, eaque novâ immortalitate donantes. Graiæ et Latii Musis in Galliam, Angliam, Germaniamque evocatis, recentiorum gentium linguæ formatæ et ornatæ, et Poësis cum omnium artium coronâ è longo somno suscitata.

Pari modo in Universitatibus, ex quo tempore eæ institutæ sunt, semper celeberrimæ et publicæ privatæque vitæ saluberrimæ juris scholæ extitêre, à quibus tota quondam Europa omnisque nostra patria ipsos juris fontes ac omnem jurisprudentiam accepit. Cum enim per longa sæcula ITALIÆ, GALLIÆ, aliarumque regionum populi incerto jure nullisque ferè scriptis legibus vixissent, en! undecimo sæculo BONIENSIS UNIVERSITAS toti generi humano juris scholas aperuit, cultissima antiqui populi Romani jura edocens, eòque ex totâ Europâ frequens auditorum copia confluens, in omnia regna veteris jurisprudentiæ monumenta æterna propagavit. Et mox ad littora Rhodani et Rheni et in medio Belgio capita novæ Academiæ extulêre, per sæculorum seriem jurisprudentiam colentes. In iisdem deindè Universitatibus literarum humaniorum studiis renatis restituta barbaro ævo juris scientia ingenuam suam dignitatem recepit; cum sæculo XVI im-

mortales illi GALLIÆ jurisconsultorum coryphæi CUJACIANA ratione jus investigarent et exornarent. Denique Universitates ad altioris culturæ fastigia juris studium duxêre; cum ex dispersis ubique privati publicique juris præceptis magnum scientiæ quasi ædificium conderetur. Itâ non solùm nata in iis jurisprudentia sed etiam educata, et in artis ordinem redacta, in scientiarum ac disciplinarum numerum per eas relata est; quæ res, quanti sit momenti, omnium sæculorum historiâ edocemur. Nulla enim ex omnium disciplinarum numero tàm facilè dignitate suâ destituitur, quam jurisprudentia, simulatque ejus studium à cæterarum disciplinarum artiumque scientiâ separatum esse incipit. Jurisconsultorum ordo à legulejorum turbâ, qui ab operariorum classe non multùm distant, depellitur, sacrarum legum custodiâ judiciorumque cura ineruditæ hominum multitudini traditur, qui dialecticis machinationibus fraudulosisque artibus, simulatam philosophiam profitentes, publicam civitatum libertatem, rei familiaris securitatem, ac totius reipublicæ incolumitatem callidè perturbare ac subvertere non erubescunt.

Hæc omnia sapienti animo pervolvens REGIS AUGUSTISSIMI saluberrimum consilium, ut CONSERVET ET AUGEAT ERUDITAM JURIS DOCTRINAM ÆTERNUM REIPUBLICÆ SOLATIUM ET CURIÆ ORNAMENTUM, in locis omni studiorum genere ornatis ei scholas collocavit, et in Universitatibus, ut genuinæ jurisprudentiæ cum cæteris disciplinis familiaritas restituatur et semper foveatur, ei cathedras poni voluit. Quâ in re ordinandâ itâ de juris studio, in statuto de Universitatum instauratione lato, statuit, ut qui finito studiorum curriculo ex Academiâ summos juris honores et dignitates adeptus exiturus est, tùm omnium rerum divinarum atque humanarum scientiâ, tùm accuratâ juris et legum peritiâ instructus dici debeat. Qui enim ad has dignitates adspirant, eos, jam antequàm ad ipsum juris studium prodeant, philosophiæ et humaniorum artium lectionibus feliciter operam dedisse oportet; ut mente benè instructâ, et nutrito magnarum rerum exemplis animo, ad ipsas jurisprudentiæ scholas adeant. In his autem non solùm legum et jurium, quibus hodiè utimur, interpretatio docebitur, sed et omnis juris antiquitas aperietur, prælectiones de causis legum, de primordiis rerum humanarum, de vicissitudinibus populorum et civitatum habebuntur, ut solus qui

universæ juris scientiæ gnarus, et omni eruditionis genere ornatus dici possit, ad ambiendos summos honores admittatur. Inter ceteras autem, quæ de juris scientiâ habendæ et juris studiosis frequentandæ sunt prælectiones, etiam scholas de jure Romano diversas aperiri jussum est in Edicto Regis; ac præter eas de juris ROMANI HISTORIA et INSTITUTIONUM, PANDECTARUM quoque prælectiones in omnibus Universitatibus haberi debent. Hujus juris autem disciplinas, de quibus scholas habendi mihi mandata est in Leodiensi Universitate provincia, tractandi munus jam aggredior, et de hujus studii ratione coràm Vobis A. O. hodiè loqui, mecum constitui.

Ex quo tempore juris Romani studium apud populos recentiores resuscitatum est, omnes civitates eruditæ id amplecti ac omnium gentium jurisconsulti præstantissimi et philosophi id summis laudibus celebrare consueverunt, et quidem nec durante tantùm illo, quod vocant, medio ævo, sed etiàm post renatas literas humaniores. In totâ ferè Europâ ejus juris instituta introducta, et Romana jurisprudentia recepta. Nostris demùm temporibus acriores juris Romani obtrectatores, iique copiosi extiterunt, et ipsa populorum opinio ejus studium, tanquàm nostræ ætatis eruditioni contrarium damnare cœpit, ideoque illud ex usu indè passìm recessisse videmus. Quæcunque fuerint hujus rei causæ, quas hoc loco referre, quamvis difficile non sit, nolumus; summorum tamen et nostrorum temporum et gravissimorum virorum, inter quos longè omnium primi nominandi forent MERLIN et DANIELS, ea est sententia : in summis honoribus hoc jus esse habendum ejusque studium diligentissimè colendum. Cum his viris ex animi sententiâ me consentire lubentissimè fateor, et hujus me esse opinionis dicere non vereor : *Omne juris studium sine accuratiore et subtiliore juris Romani scientiâ inutile, et ad veram jurisprudentiam acquirendam ex Romanis semper fontibus esse hauriendum*!

Vehementer enim errant, qui notitiæ tantùm causâ jurisconsulto hodiè juris Romani cognitionem necessariam putant, multòque magis, qui ostentationis gratiâ in Romano jure versati esse volunt. Planè aliæ sunt rationes, ex quibus accuratissimum et perpetuum juris Romani studium jurisconsulto commendandum est. Ac primùm quidem juris civilis hodierni cognitio maximè in diligenti perscrutatione

juris Romani est posita. Ex quo enim tempore hujus studium restauratum est, in omnibus Europæ civitatibus illud introducebatur et collocabatur, juris periti Romanam jurisprudentiam profitebantur, judices, oratores, legumque conditores ex jure Romano, veluti ex solo ac perenni fonte bibebant. Omnia nostri juris antiquissima instituta ex eâ emendata ac reformata, plurima ejus præcepta in usum forensem recepta, et ipsum Justinianeum juris corpus lex civitatum facta. Formulæ et definitiones juris Romani in omnia jura translata, in juris libris collocata, juris peritiam ubique regunt et ordinant : ut verè dicamus *omnem nostram juris scientiam Romanam esse.* Talis quoque apud nos, qui singulari Gallorum Codice utimur, juris nostri est conditio. Ne credatis O. A. per Gallicam legislationem, juris Romani auctoritatem esse sublatam. Imò major ea facta, et magis necessaria ad hodierni juris cognitionem, jurisprudentiæ Romanæ peritia. Multa sanè in Codice nostro ex aliis fontibus emanasse scimus, veluti ex diversis Gallicarum provinciarum consuetudinibus, ex Regum constitutionibus; nonnulla item eaque utilissima per sæculi nostri philosophiam in eo introducta sunt. Sed longè maxima juris Gallici pars Romanæ originis; cuncta quæ in eo sunt altiora et sublimiora juris principia atque elementa ex Romano jure venêre, et ut uno verbo dicam : *Totum juris hodierni fundamentum Romanum est!* Doctissimi et celeberrimi hujus Codicis conditores, in Romanis juris scholis, quarum florentissimæ in Galliâ fuêre, scientiam sibi ac prudentiam acquisivêre, et munere fungentes etiamsi id noluissent, ignorantes ex Romanâ jurisprudentiâ haurire debebant. Ad fontes ergò redeundum et ad legum principia atque originem, ut cognoscere nostri juris elementa, ut hæc et suis semper rationibus interpretari, ac omnium nostrorum institutorum naturam et ingenium explorare valeamus. Ac si qui errores, quod nemo negabit, legibus nostris et vitia irrepserint, horum primordia nosse juvat, ut in futurum puriores emendatæque evadant novæ leges.

Deindè propria, quâ excellit jus civile Romanorum, præstantia, ejus studium cuivis diligenti ac erudito juris perito commendabit. Et hâc quidem in re doctissimi semper et gravissimi jurisconsulti consentire visi sunt, ejus singularis præstantiæ gratiâ jus Romanum addiscendum esse docentes. Est enim jus Romanum jus magni quondam populi, cujus respublica optimè ordinata libertate

et justitiâ gubernatrice regebatur. Summa huic populo antiquitùs virtus, morum severitas et mirus quidam *libertatis* et *justitiæ* amor. His auspiciis, faventibus Diis, juris Romani prima elementa nata sunt, longè antequam sub imperatorum tyrannide hic populus corruptis moribus collapsâ virtute et in patriam pietate, prorueret. Jam antè Ciceronis ætatem immortalis illa XII Tabularum lex lata, certi populi mores, peritorum responsa summis honoribus habita, maximè autem Prætoris Edictum, VIVA VOX JURIS CIVILIS! sapientissimas et accuratissimas juris regulas, ac saluberrima et per temporum seriem probata publica instituta attulerant, *æterno quodam et admirabili juris fundamento* constituto. Hæc jura præclara optimè ordinata vitæque civilis et commerciorum necessitatibus prudentissimè accommodata, posteà per tria sæcula à summis, *quos ulla vidit ætas!* jurisconsultis innumeris libris explanata, accuratissimâ interpretatione definita et dilatata, et perpetuò à publicis et privatis viris emendata sunt. Solum inter omnes populum Romanum *Jurisconsultos* habuisse, non immeritò dicitur. Hi enim summum ingenium cum eximiâ eruditione et mirabili arte conjunxêre; ac omnes leges subtilissimè interpretari et de omni quæstione verissimè respondere noverunt. Eos inter eruditissimos et gravissimos suorum temporum viros fuisse et omnium disciplinarum et Græcorum inprimis philosophiæ peritissimos, ex mille monumentis elucet. Indè illa Romanæ jurisprudentiæ præstantia; indè illa, quam omnia ei sæcula tribuunt, non peritura fama! Eorum scientiam artemque Philosophorum princeps LEIBNITZIUS mathematicis disciplinis æquiparat, (*) cum versatili animo quascunque juris quæstiones tanquàm mathematica problemata, certam regulam strictè observantes, resolvendi summâ pollerent dexteritate. SABINUS, JULIANUS, SCÆVOLA, PAPINIANUS, CAIUS, PAULUS, et ULPIANUS illi sunt coryphæi, quorum unus quisque instar omnium; quo-

(*) LEIBNIT. *Op. Vol.* IV. t. 3. p. 267. Dixi sæpiùs, post scripta geometrarum nihil extare quod vi ac subtilitate cum Romanorum Jureconsultorum scriptis comparari possit; tantùm nervi inest tantum profunditatis. *Et.* Ep. T. 1 Ep. 119. 190. Digestorum opus vel potiùs auctorum, undè excerpta sunt, labores admiror, nec quidquam vidi, sive rationum acumen sive dicendi nervos spectes, quod magis accedat ad mathematicorum laudem.

rum æterna nobis præfulgent exempla, quorumque scientiam attingere, summam laudem et gloriam ac juris studii perfectionem esse putemus! Ex horum virorum libris nobis supersunt monumenta, conservata maximam partem in Justinianeo juris corpore, sed et alio modo superstitia. Quorum monumentorum perscrutatio summum nobis sit studium, ab illis tanquam à patribus nostris et totius humani generis præceptoribus addiscamus veram juris scientiam, artem methodumque, omnes leges omniaque jura cognoscendi, interpretandi et rectè singulis causis adhibendi. Profectò majus est veram et æternam juris artem nosse, quàm legum farraginem tanquàm rudem confusamque molem memoriâ tenere; illa sola nos eruditos verèque juris peritos reddere potest.

Ipsum denique sæculum nostrum nos hortatur ad acquirendam juris Romani cognitionem. Nam ad æterna et stabilia redeundum est fluctuantibus undique et publicis formis et legibus, quæ nostrâ ætate jam stabiles esse desierunt. Præstat certè perennes fontes nosse, quàm iis adhærere, quæ perpetuò mutantur. Jam scimus Codicem nostrum abrogatum iri, novumque, Regni nostri moribus ac institutis accommodatum, ei esse successurum. Hujus fontibus benè cognitis, qui maximam partem libri juris Romani sunt, illicò jam arte erimus præditi, ipsum perscrutandi et interpretandi; ac facillimè novas leges, quandocunque venturas statim ritè in republicâ ac judiciis applicare noscemus.

Est ergo maximi ponderis juris Romani studium cuivis cordato jurisprudentiæ studioso; cum *totius juris artis immutabilis adeòque juris nostri scientia eo nitatur!* et indè apparebit, veram esse nostram sententiam, juris scientiam sine accuratiore juris Romani cognitione nullum esse.

Quæ cum ità sint, nemo jam erit, qui neget ad hunc finem persequendum levem illam ac summis, ut ità dicam, labris libatam elementorum juris Romani notitiam minimè sufficere, sed totam Romanam jurisprudentiam ex omni parte esse amplectendam et diligentissimè ac indefesso studio colendam. Sapientissimè ergò in nostræ Universitatis statutis est ordinatum, ut de Historia Juris Romani et Institutionum et Digestorum scholæ habeantur. Historiâ enim edocemur originem et progressus juris Romani tùm omnium legum Romanorum, earumque vicissitudinum, tùm omnium institutorum ac præceptorum principia et muta-

tiones. Quâ nobis viâ patefactâ, ad omnium juris Romani Justinianei elementorum cognitionem duci, jurium legumque causas et rationes penetrare possumus, et hæc in prælectionibus, quæ Institutionum nomine veniunt, explicantur. In Digestorum denique scholis profundiùs in justitiæ Romanæ sacra intrare et totam illam scientiam et justi et boni artem, ab immortalibus jurisconsultis edoctam, addiscere studemus.

Si, quæ hactenùs de juris Romani præstantiâ ejusque in perpetuum colendo studio disserui, vera sint (quod nemo negabit, qui rectè rem perspexerit) difficile non erit definire rationem hoc studium benè instituendi, et viam describere, quâ ad accuratam veteris juris artis scientiam perducamur. Non illam quidem scholasticam medii ævi docentium methodum sequi nobis licebit, quâ depravatæ leges, jurisprudentiæ dignitas detracta, et humaniorum literarum amantibus tædio facta est Romani juris disciplina. Hi enim juris doctores (quorum tamen exemplum omni nec non nostro eruditissimo tempore jurisconsultorum plebs tanquàm unam veramque rationem sequi solita est) nescientes ipsum antiquæ sapientiæ templum aperire, libros juris civilis ità dilacerare et torquere solebant, ut eorum ignorantiæ artibusque dialecticis ipsi veteres juris antistites servire cogerentur; et novum jurisprudentiæ genus docentes scholas et tribunalia suis præceptis inundârunt, ingenuam scientiam ferè proscribentes. Nova Romanis incognita juris principia falsâ interpretatione ex Romanis legibus deducta statuêre, novis barbarisque vocabulis falsas illas regulas definire, et monstrosum jurisprudentiæ ædificium exstruere conati sunt, morem legulejorum veterum seu cantorum formularum imitantes.

Illam dico studii rationem omni operâ fugiendam esse, quam jam Alciatus Budæus et Zasius, magnus deindè Cujacius ejusque discipuli ac amici, inter quos Muretum et Viglium Zuichemum nominâsse sufficit, justè damnârunt, et è Galliâ et ceteris jurisprudentiæ sedibus unanimi sententiâ expellere studebant, quæ verò, quamvis et summi Belgii Septentrionalis juris interpretes perpetuò et felicissimè cum eâ pugnarent, usquè ad nostra ferè tempora regnâsse cernitur. Illis enim temporibus, quibus lumina literarum humaniorum in tenebris adhuc abscondita essent, primi juris Romani interpretes minimè illâ eruditione præditi

erant, quâ hoc jus ex suis primordiis demonstrare ejusque ingenium et antiquam formam aperire pollerent. Illa ex libris juris civilis docuêre, quæ forensi usui inservirent, quæ et ipsi et populi illius ævi intelligere potuerant, veris falsa miscentes. Undè, licet inter hos — quod ex Azonis commentariis et è Glossa Accursii elucet — magni ingenii viri essent, juris tamen doctrina depravata et inquinata est. Glossâ Accursianâ sæculo XIII. factâ, quæ communes doctorum horum opiniones referens, in foris maximam famam et auctoritatem adipiscebatur, jam legum ipsarum accurata interpretatio negligi, et omne in illam eruendam studium poni cœpit. Major indè mox ipsius juris ignorantia ejusque in judiciis perturbatio. Accessit, ut juris interpretes Scholasticorum (Sophistarum medii ævi) methodum in juris scholas introducerent (*), per quam leges ac juris præcepta miserrimè dilacerata et totius jurisprudentiæ facies mutata. Ad morem Theologorum pro quolibet casu, quem sibi fingere solebant, singularem decisionem docere, et, nec ostendentes veram juris rationem nec ad altiora juris

---

(*) Audiamus de iis loquentem magnum Muretum *in Oratione de doctoris officio deque modo jurisprudentiam docendi* in Oper. Ed. Ruhnkenii 1789 tom. 1. p. 138. In his omnibus variè peccatum esse video à multis eorum, qui quadringentos ferè ab hinc annos jus civile tractarunt: quorum etiam nonnulli tantò apud multos in pretio sunt, ut, quasi Atlantis humeris cœlum, ita eorum auctoritate hujus artis dignitas sustineri putetur. Nam et multa sæpè pro veris falsa docuerunt; et referserunt libros suos alienissimis quæstionibus, et sine ullo ordine omnia tradiderunt; et cum latinè loqui nescirent, novum quoddam et monstrosum sibi confinxerunt loquendi genus, ut, si veteres illi Pauli, et Ulpiani, et Papiniani, et cæteri juris antistites reviviscant, multis interpretibus eis opus futurum sit, ad eos, qui scripta sua interpretati sunt, intelligendos. At cur falsa quidem pro veris tradiderint, non negaverim alias quoque fuisse causas: *ignorationem antiquitatis*, et *perversum quoddam studium contradicendi.* Etenim cum tota reipublicæ atque imperii Romani facies ita versa atque immutata esset, ut nullum retineret veteris formæ vestigium, aliæ consuetudines essent, aliæ leges, alia religio, alii magistratus, alia judicia, *extincto autem lumine latinarum et græcarum literarum*, omnia densissimis ignorantiæ tenebris sepulta atque obruta tenerentur: fieri nullo modo potuit, quin homines ejus reipublicæ ignari, cujus leges et jura tractabant, tanquam in illuni nocte sine lumine errantes, sæpè offenderent, sæpè laberentur, sæpè quovis potiùs, quàm quo instituerant, pervenirent.............. Jam, quod secundo loco posui, multas sæpè ab eis inculcatas quæstiones, neque juris civilis proprias,

ac legum principia redeuntes, mechanicam juris artem reddere cœperunt. Ita BARTOLUS et BALDUS ac frequens discipulorum copia per multa sæcula regnabant; donec ANGELUS POLITIANUS. (*), et post ipsum ALCIATUS ac BUDÆUS PARISIENSIS et ZASIUS GERMANUS antiquam jurisprudentiæ dignitatem contrà hos *Accursianos* et *Bartolistas* vindicare ausi sunt. Sed illorum auctoritatem sæculorum vetustas consecraverat, et quæ docuerant, in foro et apud plebem jurisconsultorum sancta habebantur, atque inde in omnibus locis, ubi philosophiæ ac literarum humaniorum lumina medii temporis noctem expellere non potuerant, juris doctrina barbarâ illâ veste procedebat. Ubi verò magnorum virorum exempla sequebantur jurisconsulti, ingenuam veterum juris scientiam refloruisse videmus. Idque maximè in Galliâ factum sæculo decimo sexto. Nomina illorum juris interpretum quis nescit? Nomina EGUINARII BARONIS, DUARENI, CONTII, MOLINÆI, FRANC. BALDUINI, DONELLI, HOTTOMANNI BARB. BRISSONII, DIONYSII GOTHOFREDI aliorumque?

Sed inter omnes veluti sol inter astra præfulget jurisconsultorum princeps JACOBUS CUJACIUS, quem jam antè ducentos annos JACOBUS GOTHOFREDUS (**) è *lateritiâ aureum fecisse jurisprudentiam* dicebat. Hi viri et CUJACII discipuli, veluti fratres PITHŒI, LOISELII, FABRI, illam humaniorem juris scholam

---

neque ad id, quod in manibus erat, ullo modo pertinentes, quin verum sit, dubium nemini unquam futurum est, qui eorum scripta, vel per transennam, ut dici solet, adspexerit. Niti fortè quærere, quæ sit potestas *ablativi*, ut loquuntur, *absoluti*, aut *gerundii*, aut relativi, *quis*, *quæ*, *quod*, et similia, quæ vel referre piget, grammaticorum non est potiùs, quam jurisconsultorum, aut quæ sit ratio definiendi, quid intersit inter definitionem et notationem vocabuli; quandò liceat argumentari ab enumeratione partium, non dialectici potius, quàm juris civilis professores, docere debent; aut denique innumerabilia, quæ eorum commentarios legentibus passim occurrunt, non meliùs et variùs ab iis artificibus, quorum propria sunt, explicantur.

(*) ANGELUS POLITIANUS inter primos antiquarum literarum restauratores; apud LAURENTIUM MEDICEUM Magniducem Florentiæ primus elegantius jus Romanum tractare cœpit; quare non immerito celeberrimus HUGO, novam in historiâ juris Romani literariâ cum ipso ducit epocham, Vide ejus *histor. jur. liter. ed. 2da. pag.* 59. *item p.* 166., 176.

(**) Vide Manuale juris *Editio nova Bertheloti pag.* 35. Memorabilia GOTHOFREDI verba hæc

instituerunt, quæ ab ipsis non immeritò *Gallica schola* vocatur. (*) Ipsi enim jus Romanum ità interpretati sunt, ut ex ipsius populi Romani ingenio et historiâ id illustrarent. Ad ejus originem et fontes reversi, legum morumque causas demonstrare et genuinam veramque veterum jurisconsultorum doctrinam docere consueverunt. Cum classicis auctoribus libros juris conjungentes, reliquias juris Antejustinianei ubique investigantes (**), antiquam juris formam cognoscere et restituere studebant. Ex romanæ reipublicæ historiâ lumen in libros veteres intulêre, publica et privata instituta elucidantes; et *græcarum literarum* scientiâ ornati multos hactenùs obscuros librorum juris civilis locos explicârunt, et per postjustinianei juris (***) studium novum jurisprudentiæ fontem aperiebant. Ità vera juris Romani forma innotuit juris studiosis, atque utilissimum ac salutare ejus studium genti humanæ factum.

---

sunt : illud scire interest, seculo demùm superiore, posteaquàm veteris historiæ linguarum et humaniorum literarum studium renatum est, simùl et jurisprudentiam meliori fato excitatam. Nam cùm anteà solœci filo et jejunâ atque asperâ interpretum operâ jus tractaretur, sine ullo historicæ aut philologicæ cognitionis lumine, quâ destituti ubique passim impegêre, Accursii glossam seu feudum jurisprudentiæ sequi et enarrare tum contenti, textu jam penè neglecto, et abolitis penè libris Justinianeis, exorti certatim qui jurisprudentiam ab his impolitiis vindicarent, tum scriptis, tum ipso textu instaurato, et in his Pandectis Florentinis eductis; in his primi et potissimi Gulielmus Budæus, Andreas Alciatus, Gregorius Haloander, Antonius Augustinus, Lælius Torellus, Zasius, Viglius, et post omnes, ut taceam cæteros, domestica etiam decora, sed qui unus pro omnibus, qui è lateritiâ jam auream fecit jurisprudentiam JAC. CUJACIUS.

(*) Vide inter alias MURETI *Epistolarum Lib.* I. Epist. 67. ed. RUHNKENII Tom. I. p. 493 et Lib. III. Epist. 69. p. 627.

(**) CUJACII in hoc studio merita nemo nescit; sed et RANCONNETI Parliamenti Parisiensis Præsidis, et TILII (DUTILLET) Episcopi Meldensis, CUJACII amicorum nomina silentio præteriri non debent; ubique enim ille Codices Manuscriptos juris veteris quærere curavit et doctis Jurisconsultis inventos communicavit; hic primus ULPIANI fragmentorum et octo posteriorum librorum Codicis Theodosiani editor. Videas HUGONEM LL. §§. 183. 184.

(***) Hoc maxime THEOPHILI Paraphrasi græca institutionum et Basilicis continetur, illam primus 1530 VIGLIUS ZUICHEMUS, has ad magnam partem CUJACIUS et fere integros posteà HANIBAL FABROTUS Parisiensis edidit.

Sicuti in Galliâ, ità et in Belgio nostro tùm temporis cultior jurisprudentia cum studio humaniorum literarum conjuncta floruit, et in LOVANIENSI ACADEMIA et multis aliis Belgii locis fuêre jurisconsulti, qui immortalitate donati hodiéque apud omnes gentes justis honoribus fulgent. Postquam enim GABRIEL MUDÆUS BRECHTENSIS primus meliorem jurisprudentiam professus erat, mox præclari ejus discipuli pari ratione jus interpretari pergebant; inter quos multi in alias civitates veluti Germaniæ evocati magnam nominis sui gloriam sibi comparaverunt, veluti WESENBECIUS (qui WITTEMBERGÆ docuit) ANDREAS GAILIUS qui COLONIÆ AGRIPPINÆ et HUBERTUS GIPHANIUS qui meritò CUJACIO (*) æquiparatur, qui in diversis Germaniæ Academiis jura professus est; in Galliâ FRANC. BALDUINUS ex ipsius discipulis celeberrimus factus. Alii verò in patriâ remansêre veluti JACOB. RÆVARDUS, quem summi ingenii ac uberrimæ doctrinæ virum præmatura mors abstulit. Floruêre hìc inter alios PETRUS AEGIDIUS Antuerpiensis qui primus omnium fragmenta juris Antejustinianei edidit, et AGYLÆUS, cujus præcipua Novellarum latina traductio et hodiè ubique maximi æstimatur. Præter quos omnes de juris studio meritissimi Belgæ fuêre sæpè nominatus VIGLIUS ZUICHEMUS, quem et aliis laudibus historia ornavit (**), ejusdemque amicus JOACH. HOPPERUS Friso, nec non quem per totam Europam fama celebravit, JUSTUS LIPSIUS inter principes sui temporis philologos, qui non levem juris studio præstitit operam, tùm JANUS GRUTERUS, HEINSIUS aliique, quorum pervulgata nomina recitare nolo. Horum virorum vestigia sequi debemus, ut antiquam artem adipiscamur. Hi veterum juris antistitum fuêre amici; hi eorum scientiam et ipsi profitebantur, et in scriptis suis præclaris thesauros juris scientiæ uberrimos sinceræ antiquæ sapientiæ cultoribus reliquerunt.

Summam igitur laudem debemus illis gentibus, apud quas, cùm nova pericula cultiori jurisprudentiæ in Galliâ et aliis regnis imminerent, novæ

(*) Videas STRAUCHIUM apud HAUBOLDUM : *Institutiones juris romani litterariæ* 1809. Lipsiæ, tom. 1. pag. 84.

(**) VIGLIUS AB AYTA ZUICHEMUS in Belgicâ seditione clarus fide suâ ac justitiâ; mortuus est Præpositus monasterii Gandavensis ad Stum Bavonem.

scholæ ratio servaretur i. e. BELGIS SEPTENTRIONALIBUS. Apud hos enim reipublicæ libertate felicissimè vindicatâ, omnia ingenua studia artesque liberales effloruisse videmus. Plurimæ apud eos scholæ publicæ fundatæ; celeberrimi ex omni Europâ ad eos viri docti evocati; et indefesso studio omnes disciplinæ tractari cœptæ sunt. Quid illi in cæteris scientiæ partibus, et præsertim in philologicis doctrinis præstiterint, notissimum nec enarrare hoc loco necesse est. In jurisprudentiâ autem per duo sæcula usquè ad nostra tempora hi BELGÆ claruere, talemque in historiæ annalibus sibi gloriam acquisiverunt, ut ab ipsis BELGICAM seu BATAVAM JURIS SCHOLAM appellari audiamus, et ut eorum Jurisconsulti apud omnes ferè populos quasi classici facti sint. Merita HUGONIS GROTII HUBERI, NOODTII, BYNKERSHOEKII, nec non VOETII aliorumque notissima sunt; sed et PERIZONII, SCHULTINGII, WESTENBERGII, BRENKMANNI, OTTONIS ac MEERMANNI nomina in omnium eruditorum ore versantur, et eorum scripta profundissimos interpretationis fontes continent. Inter omnes SCHULTINGII, quem Cujacium Hollandiæ summo jure vocavere, memoria nobis sacra esse debet, qui mirâ eruditione et subtili ingenio ornatus veterem jurisprudentiam Antejustinianeam illustravit.

Quorum omnium et Gallorum et Belgarum auctoritatem in patriâ meâ jam nunc doctissimi et celeberrimi Jurisconsulti, qui ferè nunc primùm ingenuam juris artem contrà Pragmaticorum usurpationem apud nos vindicârunt, in scholis suis sequuntur, docentes Cujacianam rationem, et magnorum virorum deletam ferè memoriam revocantes. Nam hi quoque cum juris studio arctissimè conjungunt philosophicas ac philologicas seu historicas disciplinas, è puris fontibus scientiam haurientes et pristinam jurisprudentiæ nobilitatem, deperditam ferè, restituentes, eâdem viâ continuantes, quam illi magni viri carpere suis temporibus coeperant; ut quæ ab illis elucidari nondùm poterant, ea nunc saltem et probè illustrentur.

Hâc quoque mente jura populi Romani tractare in hâc novâ musarum sede A. O. præceptorum meorum morem secuturus, mecum constitui, ut et in hisce regionibus sacra patrum memoria et cultior juris scientiæ tractatio conserventur! Utinam eæ mihi vires datæ sint, quibus ad provinciam tàm arduam

feliciter gubernandam opus est! Vix docendi munus aggressus in Academiâ *Georgiâ Augustâ*, ubi et patriæ et amicorum favore tuto faciliùs opus consùmere datum erat, jam in novam quasi terram, ad gravius officium provocor; et juvenili ferè ætate apud aliam gentem, quæ aliis moribus aliisque legibus regitur, scientiam difficilem et maximi ponderis docere jubeor. Nunquàm hucùsque latino ore publicas prælectiones habui (in Germaniâ enim omnia vernaculâ linguâ traduntur); nova methodus apud nos recepta, quam ipse et mihi optimam et veram conservare velim! auditoribus fortassè incognita difficilior apparebit. Nec non multæ nunc incognitæ difficultates peregrino mihi certè obventuræ sunt! Quarè Vos omnes O. A., qui in futurum prælectionibus meis operam daturi estis, humanissimè rogo; ut me talem habeatis, qui sincerâ magis intentione, quàm eâ, quam desiderabitis, scientiâ præditus in hac Universitate, studiis excitandis operam navando par erit. Vestrorum tantùm virorum discipulum me esse velle, credatis! qui id unicè agam, ut *antiquo Belgarum nomine me dignum, et reipublicæ, cujus civis jam sum factus, utilem me præstem.* Et cum in literariâ civitate, cujus arcana vincula eruditos omnium populorum amplectuntur, nullum nec gentis nec originis discrimen inveniatur, me tanquàm ex vestris unum habeatis. Tali tantùm ergà me benignitate ac animi propensione fretus, ad ipsum opus procedere audeo, rogans Deum Optimum Maximum, cui omnia magna originem debent et gloriam! ut felici eventu opus hoc coronet; ut novæ huic Universitati det stabilitatem, constantiam et prosperitatem, omnibus disciplinis dignitatem, pietatem et auctam gloriam, et ut toti reipublicæ vitæque civili in hâc Academiâ perennem felicitatis fontem aperire dignetur.

Dixi.

CONSIDÉRATIONS

SUR LA

PROCÉDURE CIVILE ET LE DROIT CRIMINEL,

PAR P.-J. DESTRIVEAUX, PROFESSEUR;

DISCOURS PRONONCÉ POUR L'OUVERTURE DE CES COURS.



Messieurs,

Chargé d'exposer les règles de la procédure civile, et de développer les principes du droit criminel moderne, je crois utile de tracer aujourd'hui sur ces objets importans quelques considérations générales.

Les lois suivent les révolutions de la société, dans le principe de sa formation, où besoins et plaisirs, tout chez l'homme, se rapproche encore de la nature; les lois ont peu de chose à prévoir, elles sont simples comme la nature; elle-même. Les contestations plus vives que durables, peuvent être facilement apaisées, il y a, pour ainsi dire, alors plus de conciliations que de jugemens.

Mais quand les besoins agrandis ont rendu fréquens les échanges de toutes les espèces de propriétés, quand la perfection des arts, l'étendue du commerce ont accumulé les richesses et que le luxe a envahi toutes les classes, les rapports des citoyens se sont multipliés; les lois positives ont dû être plus nombreuses,

les points de contact entre les intérêts sont bientôt devenus des points d'opposition; les différends se sont compliqués, on a senti la nécessité de créer une puissance qui agissant au nom de la société, indépendante de toute influence, ne connaissant que la loi, en appliquât librement et fidèlement les dispositions; il a fallu créer le pouvoir judiciaire. Ainsi le juge mandataire de la société, est chargé par elle de décider suivant la loi les différends qui s'élèvent entre les citoyens, il ne connaît ni grand ni petit, ni faible ni fort, et si la justice est regardée comme fille du ciel c'est parce que devant elle la grandeur s'abaisse, et le pouvoir s'évanouit.

Mais comment le juge connaîtra-t-il la vraie nature des questions qui lui sont soumises, si la loi n'a pas établi des formes imposées sans exception à ceux qui paraissent devant son tribunal? Comment prononcera-t-il sur la vérité d'un titre, sur l'existence d'un fait, si dans la production de ce titre, dans l'affirmation et la preuve de ce fait, tout est livré à l'arbitraire et souvent à la mauvaise foi?

Où s'adressera-t-on pour obtenir justice, si toutes les juridictions sont confondues?

Et dans ce dédale obscur, qui allumera un fanal salutaire? qui tiendra le fil sacré qui doit nous conduire? nul n'en aura les moyens, nul n'en aura le pouvoir.

Ce n'était pas tout que d'élever un temple à la justice, on a senti le besoin d'en rendre l'accès possible.

Et la justice ne pourrait point parler, si elle n'était pas instruite; elle parlerait en vain si ses arrêts n'étaient point exécutés; ses droits seraient scandaleusement usurpés par l'erreur, s'il n'était pas permis de démontrer que celle-ci a conduit les juges; la paix civile serait trop souvent troublée, si de petits intérêts devaient être soumis à de trop longues épreuves.

C'est pour prévenir tous ces maux que les législateurs ont établi la procédure civile; elle est l'assemblage des formes par lesquelles on dirige, on instruit, on fait juger les procès, on poursuit l'exécution ou la réformation des jugemens.

La procédure civile est donc nécessaire à la dispensation de la justice, et sous

ce point de vue elle doit être vengée du mépris des esprits superficiels, ou de ceux mêmes que trop de science abuse, et conduit à des idées d'une indépendance mal raisonnée.

D'autres n'ont vu dans les actes de la procédure que des moyens d'illusion présentés à l'habileté de la chicane, ou des instrumens de ruine abandonnés aux mains de la haine et de la vengeance. Ils se sont trompés, ou bien ils ont calomnié le législateur; ils ont pris l'abus du bien, pour le mal même, et parce que des individus coupables ont su quelquefois tourner contre l'homme de bien les formes établies pour le protéger ils ont proscrit ces formes; comme si l'on était autorisé à proscrire tout ce dont l'abus est possible; comme s'il fallait, par exemple, proscrire les défenseurs de l'état, parce qu'il y a eu des gardes prétoriennes, et que les soldats de la patrie ont servi par fois à l'opprimer.

C'est à cause de l'abus même que l'on a fait des formes de la procédure, qu'il faut en acquérir une plus profonde connaissance; alors la science repoussera les attaques de la fraude, et les armes préparées par la loi pour vaincre l'injustice ne seront plus confiées aux mains de l'inexpérience et de la faiblesse.

C'est en se pénétrant intimement des motifs du législateur dans l'établissement des formes de la procédure, que ceux à qui l'exécution en est confiée ne s'avilissent point à devenir l'instrument des passions des plaideurs. Consultés souvent les premiers, et quand l'action judiciaire n'est encore qu'un projet, il leur est bien facile d'adoucir les ressentimens par des paroles conciliatrices, et par une sage lenteur de donner le tems de se rapprocher à ceux pour qui l'amitié est un besoin, et qu'un procès eût à jamais désunis.

Cette heureuse conciliation n'est pas toujours possible. Mais obligés de descendre dans l'arêne judiciaire pour y défendre les intérêts dont ils sont chargés, que les directeurs de la procédure n'oublient jamais ce principe du droit des gens, *qu'il faut se faire pendant la paix le plus de bien, et pendant la guerre le moins de mal que l'on peut.*

C'est dans ce sens que nous chercherons à fixer les règles de la procédure civile. Ne craignez pas cependant, Messieurs, que de vaines abstractions viennent nous séduire; c'est dans la pratique du droit que la loi doit être le

moins chargée de commentaires ; trop de recherches sur son esprit tueraient au lieu de vivifier ; et si quelquefois elle nous semble incomplète ou obscure, nous trouverons un guide dans la jurisprudence des tribunaux chargés de l'appliquer. Les formes de la procédure sont nombreuses, nous le savons ; mais la méthode peut empêcher que le nombre ne soit confusion. Que la multitude et l'aridité apparente des matières ne nous arrêtent point, rien ne doit retenir celui qui veut être utile à la société, et cette pensée doit soutenir votre courage et le nôtre ; elle devra redoubler notre zèle et nos forces à l'instant où nous entrerons dans une carrière bien plus vaste, celle du droit criminel. Là, les intérêts sont d'une autre importance : jusqu'à présent nous avons vu les citoyens discutant entr'eux des affaires privées ; ces débats naissent et meurent ignorés, engloutis dans l'abîme où disparaissent toutes les transactions particulières ; un peu plus, un peu moins d'or, tel est le résultat de presque toutes les procédures civiles ; mais en matière criminelle, c'est la société tout entière qui agit, intéressée qu'elle est à la punition due au crime, ou à la protection réclamée par l'innocence.

Les réparations sont terribles ; il s'agit presque toujours de la vie, de la liberté ou de l'honneur d'un citoyen, et quelquefois aussi de l'honneur de sa famille, si de cruels préjugés font retomber sur elle l'infamie de son chef.

Les lois criminelles appartiennent au droit public, elles ont leur origine dans le contrat social qui a primitivement lié les citoyens entr'eux.

Leur but est de maintenir la tranquillité de la société en punissant le coupable, en arrêtant par la crainte ceux qui voudraient l'imiter.

Elles sont de deux espèces, les unes ont pour objet la définition des crimes et l'application des peines ; les autres prescrivent les formes que l'on doit suivre pour constater les crimes, et en convaincre les auteurs.

La première règle dans l'établissement des peines, est de les proportionner aux crimes ; on doit se souvenir constamment que la loi n'agit point par vengeance ; elle punit le coupable pour le corriger s'il est possible, et par l'exemple de sa peine, prévenir le mal à venir.

Il faut donc user rarement des peines capitales ou de celles qui réduisent le coupable à un état tel, qu'il lui devient indifférent de persister dans la volonté du crime ou de s'en corriger.

La multiplicité et l'atrocité des supplices sont particulièrement fréquentes dans ces états despotiques où la vie de l'homme est moins estimée que celle des animaux, où la fortune des condamnés étant confisquée vient enrichir le despote qui l'assassine : là, il n'y a qu'un maître et des esclaves, on y chercherait vainement une cité et des citoyens.

On doit aussi le dire, des peines effrayantes ont été infligées par ces tribunaux où les hommes se sont établis les vengeurs de la divinité, où l'on soulevait le voile qui couvre a pensée, pour condamner la conscience, où les juges se montraient toujours implacables en prononçant leurs arrêts au nom du Dieu qui pardonne. Ainsi la tyrannie et le fanatisme sont deux monstres qui ne se plaisent que dans le sang, et sous ce rapport, comme à bien d'autres égards, on a pu dire *que la lecture des lois pénales d'un peuple donne l'idée de son état moral.*

La modération dans les formes de l'instruction criminelle, la publicité des jugemens, la latitude de la défense ont également un rapport direct avec la liberté des nations; il sera facile de réduire à l'esclavage un peuple, où le citoyen, le père de famille sont exposés à la privation de leur liberté pour les moindres accusations; les sentimens généreux sont bientôt comprimés là, où l'on s'habitue à regarder comme une chose simple l'emprisonnement d'un citoyen; il n'existe pas de garantie pour les biens les plus précieux là, où le juge décide dans le secret, où la voix de l'accusé est étouffée, ou bien se perd dans de solitaires clameurs.

L'histoire vient appuyer nos réflexions par des exemples imposans.

A Athènes, à Rome, les accusations, la défense, les jugemens étaient publics. Aussi long-tems que la liberté subsista à Rome, le peuple s'était réservé le droit de juger les causes dans lesquelles il s'agissait de la vie ou de l'état d'un citoyen; les empereurs le dépouillèrent de cette précieuse prérogative après l'avoir asservi. Qu'arriva-t-il? que l'on put dire à presque tous, ce qu'un homme intrépide écrivait à l'un d'eux : *surge carnifex*, lève-toi bourreau.

Il n'entre pas aujourd'hui dans notre plan de retracer l'histoire de la législation et du droit criminel; elle mérite des développemens particuliers. Qu'il nous suffise

de dire qu'après avoir été la honte et le tourment de l'humanité pendant plusieurs siècles, les lois criminelles sont enfin devenues dans quelques pays à peu près conformes à la raison : et cette heureuse révolution est due aux progrès immenses de la philosophie, de cette philosophie que l'on a tant calomniée, tandis qu'il est impossible de faire un pas sans rencontrer les monumens de ses bienfaits ; c'est elle qui a inspiré les pensées de Montesquieu, les ouvrages des Beccaria, des Filangieri, des Pastoret ; c'est elle qui a inspiré à la grande Catherine II, les immortelles instructions publiées pour son code ; c'est elle qui a consolé l'humanité pleurant sur la tombe de ceux que les tortures et d'affreuses lois avaient injustement sacrifiés. C'est elle qui avait fait rétablir ces formes protectrices par lesquelles un accusé est jugé par ses pairs ; c'est la philosophie qui avait relevé ce juri que les Anglais regardent comme le boulevart de leur liberté, que la France a conservé, et que nous n'avons plus !.....

Vous pressentez déjà, Messieurs, que ce ne sera point à une triste énumération des crimes et des peines, à une sèche nomenclature de quelques formes d'instruction que se borneront nos travaux. Dans de semblables matières il ne suffit pas de connaître, il faut savoir. Tout doit être examiné, discuté, comparé ; nous le ferons avec liberté, mais sans licence ; avec attachement aux principes, mais avec un respect profond pour les lois. Vous nous seconderez, Messieurs, dans nos travaux, vous nous en diminuerez le poids ; rien ne nous arrêtera dans l'accomplissement de nos devoirs, ils sont sacrés ; de votre côté vous remplirez l'attente de votre Patrie, du Monarque, de vos familles, et nous ajouterons, la nôtre. La plupart d'entre vous se destinent au barreau ; un grand magistrat va leur adresser la parole (*) :

« Ces tems, il est vrai, ne sont plus, où votre éloquence réglait les empires, « où tout un peuple assemblé vous écoutait sur ses intérêts. L'étroite enceinte du « barreau semble ne laisser plus d'espace à de si grands succès ; mais ne « voyez-vous pas l'issue qui vous reste pour aller à la renommée ? Vous êtes « encore les maîtres de votre gloire ; prenez seulement la défense d'un innocent

(*) Servan. Discours sur l'administration de la justice criminelle ; tom. 1er., p. 56.

« accusé, et bientôt vous aurez le genre humain pour client; la pitié court « avertir les hommes de toutes parts, et les rend attentifs à la cause qui les « intéresse tous. Déjà votre nation vous écoute; que dis-je les nations étrangères, « nos ennemis même se mêlent avec nous pour entendre le défenseur de l'hu- « manité. Parlez, votre langage leur est commun, c'est celui du sentiment; « l'intérêt que vous défendez est le leur, c'est celui d'exister; vos lois leur sont « connues, ce sont celles de la nature, c'est la loi de ne faire aucun mal à ses « semblables. Quel majestueux spectacle qu'un homme éloquent entre ses juges « et le genre humain, parlant pour l'innocence, au milieu du vaste silence qu'im- « pose un si grand intérêt! l'attention publique fait pâlir sur son tribunal le « magistrat distrait ou passionné, les cœurs se déchirent, les larmes coulent, « les acclamations s'élèvent, et l'heureux protecteur de l'innocence obtient à « la fois le triomphe des talens et de la vertu. »

La renommée a, Messieurs, plusieurs couronnes les unes sanglantes et mêlées de cyprès sont pour les conquérants; assis sur des ruines ils les reçoivent en insultant à la misère des nations.

Les autres plus honorables sont réservées aux bienfaiteurs de l'humanité; tout homme peut prétendre à celles-ci.

Vous vous distinguerez, Messieurs, nous n'en doutons pas dans ce noble concours; en éclairant vos esprits, vous agrandirez vos âmes; vous tendrez sans cesse à la connoissance de ces vérités utiles qui seules ont quelque prix aux yeux du citoyen. Le monarque ne craint point la vérité puisqu'il favorise l'instruction, répondons tous à ses bienfaits, et n'oublions jamais que les vraies lumières conduisent les peuples à la vraie liberté, comme leurs chefs à la véritable gloire.

ORATIO

DEODATI SAUVEUR,

QUAM,

RECTORIS M. MUNUS DEPONENS,

PUBLICE HABUIT D. V. OCTOBRIS A. MDCCCXVIII.

ILLUSTRISSIMI, AMPLISSIMI,

OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI VIRI.

Quo tempore uberrima seges, et in Europâ passim, et in nostris regionibus remunerata est agricolæ laborem, qui in sinu familiæ lætus providentiam gratoque animo laudat; quidni universitas Leodiensis, lectiones academicas, implorato priùs solemniter cœli auxilio, auspicata, hodiè rerum conditori gratias de litterariâ, ut ita dicam, segete agat, quam primus hicce annus lætissimam progenuit? Nam si unquam feliciores successus nostros prædicare licet, nonne ita hoc maximè concedendum est, si remoto superbiæ sensu, æterno omnis boni creatori, eos deberi pii profiteamur? Sic mente affectis ea fiducia crescit, omnis arrogantiæ expers, quæ æmulationem nutriens, nec invidiam provocet, et gloriam quodammodo temperans, nos digniores eâ reddere videatur.

Ut autem prima laus supremo numini tribuenda, sic princeps, Belgii nostri academiarum fundator, reverente nobis hoc loco gratoque ore memorandus est; cujus ut generosa benignitas et sollicitudo studia nostra comitans tuetur; sic munificentiam in omnibus, queis academiæ Leodiensis et splendor et prosperitas crescat, largiendis, annales nostri prædicabunt.

Quæ quidem munificentia eò majores fructus protulit, quod ei, quantum sperare fas erat, alumnorum nostrorum industria respondit; nec sine paternâ

quâdam lætitiâ numerosos undique ad disciplinas nostras accurrere, et insignes multorum progressus et doctrinæ specimina mirati sumus!

Enim verò, quid dulciùs nobis contingere potuisset illa persuasione, primos conatus laboresque nostros ad promovendam publicam utilitatem non modo irritos non fuisse, sed omni expectatione majores successus.

Nimirùm publica utilitas summus nostri et laboris et desiderii finis : de quâ ingeniosus veræ gloriæ æstimator : « Nisi utile est quod facimus, stulta « est gloria » Hanc provehere voluisse nostra laus est; provexisse meritò lætamur.

Etenim longè absit à nobis puerilis jactantia, quæ homines, suorum operum præposterè amantes, ad successus ultrà verùm attollendos impellit; longè absit à nobis, ut adolescentibus malè blandiamur : qui si votis nostris minùs respondissent, melioris in posterùm conditionis spes nos potiùs solaretur, quam in ipsis academiæ nostræ annalium initiis veritatem, cui soli consecrandi patent, contemneremus.

Cæterùm ego, cum mihi primi hujusce anni academici historia adumbranda sit, non sinè quâdam animi sollicitudine ad eam rem accingerer, nisi, munus hoc meum positurus, eamdem à vobis indulgentiam benevolentiamque securus expectarem, quâ nunquam non confirmastis in novo rerum ordine progredientem, ubi necesse fuit multa dubii consilii, multa in academiarum nostrarum normâ non prævisa occurrere, quæ consuetudine neque ordinari possent, neque satis illustrari.

Adumbrationis autem meæ præcipua lineamenta chronologico factorum ordine distinxi, singula summatim persecuturus, ne minutis diutiùs immorando auscultantium quamvis propensâ voluntate abuti sine necessitate videar.

Etenim hoc mihi propositum est, ut præcipua quædam considerantibus appareat, ad quemnam sive amplitudinis sive utilitatis gradum, in hocce regno assurgere humana cognitio felicissimis auspiciis cœperit, quâque ratione ad altissima nitentem academiæ nostræ impellere ultra et sustinere possint.

Itaque acta exponens omnesque nostri instituti partes indicans, simul quæ proximo anno accessura sunt, atque ex his proventura commoda docebo.

Sciunt hoc collegæ mei, me id officii mei duxisse eos consulere, eorumque sententiam colligere, ne quid sive in hâc oratione, sive in ipsâ rerum indicatione omitteretur.

Decreto regio, quo superior civium institutio in meridionalibus regni provinciis ordinata, tres litterarum universitates fundatæ sunt : inter civitates tanto bono fruituras Leodium relatum esse lætamur.

Quippè ad regis nostri in hancce civitatem benevolentiam gravissimæ causæ accedebant, cur illa ex omnibus provinciæ urbibus tanto beneficio honoreque dignissima judicaretur; nam ut omittamus civitatis nostræ amplitudinem, sitûs delicias, victûs, servatâ comparatione, pretii mediocritatem, et publicorum ædificiorum splendorem : ut, inquam, hæc aliaque omittamus, non potuit non movere sapientissimum principem, cum insignis nostratium in litteras artesque amor, tum publica industria ad summum elata perfectionis fastigium, tum verò maximè civium nostrorum liberale et ad publicam felicitatem tuendam augendamque propensum ingenium.

Designatâ academiâ Leodiensi, professores ab ipso rege lecti avide tempus expectabant, quo se regiâ fiduciâ dignos, benignitati gratos ostenderent. Accedebat, quod æquè summo eos ardore inflammaret, publica expectatio, nec dubia benevolentia. Quæ res singulorum officii mensuram quodammodo extendere videbatur.

Inscribendus annalibus academiæ nostræ solemnis ille dies candidissimo calculo dignus, nobisque et posteris in perpetuum memorabilis, quùm præsentibus provinciæ et urbis amplissimis dignitate sive civili, sive militari viris, publicâ applaudente lætitiâ, academiâ nostrâ proclamatâ, vos in munera vestra instituti estis ab excellentissimo et illustrissimo viro publicæ, quam vocamus, institutioni, disciplinarum artiumque studiis eo tempore præposito.

Qui regis vicem implens, veluti intimam ejus mentem vobis aperuit; quâ generosus idem et civium suorum libertatis amans, vos tanquam socios in partes patriæ felicitatis promovendæ gravissimas vocavit.

Quippè in illius illustrissimi viri suavissimâ oratione mirati estis pulcherrimam philosophiæ cum vastâ eruditione conjunctionem.

Unde pendet summi artis magistri præceptum : « Scribendi rectè sapere est et principium et fons. »

Itaque non sine læto applausu de disciplinarum dignitate, deque publicæ institutionis tùm universæ, tum imprimis de supremæ inter alia civilis vitæ instituta eminente gradu ea pronuntiari audivistis, de quorum veritate atque præstantiâ vobis ipsis persuasum esset. Attentos deinde in se convertit provinciæ hujus gubernator idemque collegii curatorum nostræ academiæ præses, regis delegato ita respondens, ut adpareret parem in amplissimis viris esse gravissimarum rerum prudentiam, ingenii liberalis nobilitatem et in principem patriamque fidem.

Postquam ingenio celebrata audiveratis principis in academiâ constituendâ, benefacta, difficiles sanè meæ erant partes; nam et pro ingenio voluntatem in me esse non ignoro, et oratores excipienti ad exprimenda animi sensa vix mentis colligendæ otium fuerat; sed ipsa recti voluntas suam habet laudem atque fiduciam, et faciles aures reperire apud prudentes solet, qui officii ardore ductus inspiratusque loquitur. Equidem credidi me fidum interpretem fuisse omnium quibus recta placent, omnium parentum, omnium collegarum meorum, cum academiæ Leodiensis reverentiam et summas gratias principis majestati in illutrissimi ejus vicarii personâ obtuli.

Instituta academia pari ardore et industriâ munus suum implere cœpit. Namque normam quæ omnes ejus partes et singulis facultatibus attributas lectiones resque tractandas indicat atque ordinat, religiosè sequens, quantum præsentis ejus statûs ratio concedebat, vastum institutionis superioris campum percurrit, in quâ si designatas nobis jussasque partes, rerumque varietatem intueamur, nec necessarii quidquam omissum reperiemus, nec utile quidquam deesse, nec quidquam, quod utile non sit gravisque momenti, postulari; sive doctrinarum elementa consideremus, quatenus latissimo usu sociatæ vitæ necessitatibus commodisque prospiciunt, sive philosophiam omnium scientiarum artiumque moderatricem.

Quod verò dixi Academiam Leodiensem ad normæ nostræ legem, se, quoad lectionum materiem composuisse, non ita intellectum velim, quasi, quoad

universam ejus vim, post unius anni laborem nos eò jam provectos esse existimem, quo conjunctis omnes viribus contendimus. Nimirùm temeritatis esset id affirmare, de quo non nisi longiori temporis spatio accuratè licebit judicare. Etenim inter partes singulis facultatibus tractandas aliæ sunt gravissimæ, aliæ minoris et momenti et amplitudinis : illæ, ut longius spatium exigunt, sic eminere in programmatibus debere censentur, cæteræ non nisi per intervalla, ut ita dicam, apparere; ita ut quivis disciplinæ nostræ alumnus annorum parandis academicis gradibus præscripto numero, omnia institutionis elementa ad propositæ promotionis honorem necessaria addiscere possit.

Igitur ut omnem legis, quâ instituti sumus, vim penitùs intellectam impleamus, biennii aut triennii spatium requiritur. Nihil omittere, omnes partes pro suo quoque sive pondere, sive præscripto studiosis tempore tractare, hæc duplex institutionis nostræ præposita laus est, cujus benè cœptæ rationem tempus perficiet. — Atque hoc loco attingere cogor, quod non leve incommodum dolemus; quid enim taceam, quæ programmata nostra palàm loquuntur? Nempè omnes intelligimus quam sit exoptandum, ne plures academiæ nostræ cathedræ diutiùs vacent : quibus, cur nondum designati professores fuerint, alia causa esse nequit, nisi dignissimos legendi summopere laudanda voluntas. Neque nobis tantam supremæ auctoritatis benevolentiam expertis dubitare licet, quin illud quoque votis nostris quam brevissimo tempore sit accessurum. Imò quod optabamus, id nobis ex parte contigisse, his ipsis diebus accepimus. Vocatum enim ad facultatatem disciplinarum mathematicarum et physicarum brevique adfuturum novimus virum eruditionis laude preclarum. Quare inter prælectiones naturæ studium complectentes jam nunc gradum suum non sine omnium adolescentium applausu tenebit botanica, ditissima illa et pulcherrima, ut natura, scientia, cujus cum aliis disciplinis multiplices nexus, cognitio in multis necessaria, in aliis jucundissima reperitur.

Illarum igitur disciplinarum studio, quæ primis et gravissimis civilis vitæ necessitatibus utilissimam operam præstant, nec minus reliquarum quas norma nostra sive designat tantum, sive jubet, institutionis nobis mandatæ systema continetur; hujus nulla pars negligenda, nulla non suo in honore cultuque

ponenda, atque ipsa academiarum inter se comparatio plurimum lucis in singulis diffundet. Cæterum inter res à facultatibus tractandas lex nostra præcipuas tantum indicavit; alias non exclusit quidem; sed industriæ vestræ et prudentiæ reliquit.

In quo ut sapienter constituit suprema auctoritas, multa arbitrio vestro permittens, sic egregiè singulis facultatibus, veluti basin et methodum præscripsit meditatione et experientia probatam.

Enimvero si consideremus operum, quæ possidemus, multitudinem, et nova in dies in lucem prodeuntia, fieri vix possit, quin aliquantum timeamus, ne confusa copia perstringat potius mentis aciem quam illustret. Et vero maximi momenti hodie est optimam cuivis scientiæ methodum constituere; quo sapientiùs norma nostra cavit, ut quam quisque disciplinam traderet, ejus ante methodologiam, et, si amplitudinis ratio flagitaret, encyclopædiam quoque exponeret; cæterum, quanta utrique prælectionis pars consecranda, professoris judicio relinquens. Nos autem, si veram vim legis quærimus, id a nobis postulari intelligimus, nempè, ut in prolegomenis necessariis complectamur et quam maximâ fieri possit perspicuitate discentibus indigetemus illud punctum, quod in systemate scientiarum generali, specialis illa scientia occupat, quâ imbuendi sunt, utque accuratè et studiosè iis omnes secundarias, ut aiunt, partes illius, quam tradituri sumus, veluti primarii rami ramusculos enumeremus. Hæc omnia academia nostra, quantùm nascentis institutionis inevitabilis difficultas et studentium imprimis ratio patiebatur, religiosè præstitit. Neque vero intrà officii terminos stetit, sed ultrà etiam progressam esse, nobis merito gratulamur.

Nam, ne alia hic memoremus, cum academiæ professorum felices ingenii lucubrationes plurimum ad ejus prosperitatem splendoremque conferre, meritò censeamus, non potuit nobis non gratissima esse duorum inter nos clarissimorum virorum docta industria. Nempè Ignatius Denzinger, in logices, quæ alumnorum suorum ad usum vulgavit, lineamentis, rem naturâ suâ difficilem ita persecutus est, ut methodi præstantiam ingenii acumine æquaverit. Leopoldus Warnkœnig autem, cum jus romanum, immensæ molis materiem,

exquisitiori et doctiori systemate, celeberrimorum hujus ætatis jurisconsultorum exemplo traderet, et ipse novum suæ accommodatum rationi opus edidit, tironibus viam aperiens ad altiorem cognitionem antiquæ illius jurisprudentiæ, quæ æternam quodammodo imperio romano vitam donare videtur.

Cæterum magistratûs paterni specie honorati, non sine insigni voluptate omnes academiæ professores numerosam illam vidimus juventutem plenam fiduciâ, veluti doctrinarum ad fontes generosa principis manu reseratos undique collectam accedere. Cui quæ in ultimâ promotione honorifica pronuntiavi, hìc novo testimonio juvat confirmare.

Enimvero si in maximo numero unum alterumve excipiamus, cæteri omnes saluberrimâ illâ persuasione mihi penitùs imbuti visi sunt : non nisi in studiis et laboris amore serenam mentem puramque lætitiam reperiri; itaque quibus religionis morumque præceptis confirmati, patrios lares reliquerant, eadem colere in nostrâ civitate non desierunt.

Quidni igitur in posterum lætiora etiam speremus, atque eò magis, quod academiæ statuta, nunc demùm post annuam experientiam et perficienda et vulganda, alumnorum nostrorum, tum in studiis industriam, tum morum disciplinam impensiùs tuebuntur.

Quibus equidem confido nos id brevi assecuturos esse, ut, si quibusdam fortè placeat magis pravo exemplo bonis nocere quàm eorum mores imitari, ut, inquam, illi, id, se porrò facere impunè haud posse intelligant, neque enim ubi severitate opus erit, nos officio nostro deerimus; cujus ut summam implevisse censeamur, hoc ipsum requiritur, ut ingenii juxta et morum institutionem absolvamus.

Jàm ab officio nostro ad ea transeamus quæ votis nostris ad academiæ prosperitatem et splendorem aut concessa jàm tenemus aut etiamnunc præstanda expectamus.

Atque hic, non dubito, clarissimi viri, quin ad normæ vigesimum octavum articulum, et quæ in eo magna et multiplicis generis bona academiæ jubentur, cogitatione jam convertamini : enimverò tantam in excellentissimis atque amplissimis viris universitatis curatoribus fiduciam meritò positam habemus, ut præpos-

2

terùm sit, metuere, non modo, ne in illo articulo statuta parùm curentur, sed etiam, ne, quantùm ab ipsorum voluntate et in litteris nostris promovendis ardore pendet, seriùs impleantur. Huic enim amplissimo collegio norma mandavit, ut optimam, quæ ipsis videretur, rationem proponentes, recentioribus linguis in academiâ tradendis providerent : quæ res quanti sit ponderis, quam exoptanda sive academiæ alumnis, sive reliquis etiam civibus, non potest viros et sapientissimos et doctissimos latere. Nimirùm is fuit, hodièque est humani ingenii progressus, ut omnes ferè recentiores linguæ, doctæ, ut ajunt, factæ, suam habeant litteraturam, sua ad doctrinarum studium præclara opera; undè ingens bonum existimamus cum exterarum nationum scriptoribus mutuâ linguarum cognitione vigens veluti ingeniorum commercium, atque hoc potissimum tempore, quò diuturnâ et grandiori per Europam universam gentium agitatione id effectum est, ut inter remotissimos locorum distantiâ animorum arctior, quam olim inter proximos, conjunctio inveniatur.

Idem vero normæ articulus curatoribus alia insuper ordinanda permisit, minora quidem, neque tamen indigna quæ studiosè curentur, graphidos scilicet scientiam atque equitandi et armorum artem : de quibus omnibus ab excellentissimorum et amplissimorum virorum et voluntate et prudentiâ cum summâ tum optimâ expectamus.

Quod si hìc in curriculo raptim adumbrato pedem sistimus, id unum nobis superare patebit, ut bona impetrata enumeremus; quæ quidem novas à nobis gratias generoso principi flagitant patriæ et rectori et tutori dignissimo. Plurima enim et maxima jam concessa gaudemus, sivè disciplinarum quæ propriè dicuntur instrumenta, sivè omnino academiæ ornatum spectamus.

Nec verò illustrissimi curatores nostri hìc sine grati animi adfectu nominandi veniunt, quibus mediatoribus atque interpretibus ad accelerandam academiæ prosperitatem brevissimo temporis spatio et sub ipsis muneris nostri initiis tanta impetravimus.

In his numerandum est ædificium cum structurâ magnificum, tum rarâ sitùs amœnitate, idemque vastum et nobili usui omnibus partibus egregiè accommodatum. Bibliotheca autem, civitatis nostræ munificentiâ in academiam trans-

ferenda, exiguo quidem voluminum numero continetur, et in paucis minima pars melioris notæ; sed regis liberalitate annuo spatio multa accesserunt, et in dies accedunt, concessâ majori pecuniæ summâ in hunc imprimis finem impendenda. Igitur quæ maximè necessaria videbantur, in suâ quisque facultate jam paravimus; cætera deinceps adjicientur, speramusque fore, ut quod summo et nostro et alumnorum commodo vehementer optandum est, brevi litteraria academiæ nostræ instrumenta reliquarum rerum magnificentiæ respondeant.

Non minoris momenti ducimus disciplinis inservientes adparatus : in quibus chirurgiæ armamentarium ornare cœpimus, et instrumenta ad plerasque operationes necessaria professorum usui tradita sunt. Hunc vero apparatum ita compleri suprema autoritas jubet, ut historiæ artis chirurgicæ quasi adumbrationem exhibeat; idemque non adolescentibus modo docendis utilissimus erit, sed etiam regionis nostræ artifices ad saluberrimam in instrumentis fabricandis æmulationem invitare poterit, quæ vel ad physices experimenta, vel ad chirurgiam pertinent. In physices apparatu, et in laboratorio chemico magnus et jam reperitur instrumentorum numerus, et promissa expectantur complementa. Plures sanè collectiones etiamnum desiderantur. Sed quæ illustri curatorum collegio intercedente et interprete nobis paranda sunt, ea deesse satis est, ut expetita etiam et flagitata esse confidamus. Amphitheatra autem medicæ facultati consecrata hoc ipso tempore duo absolvuntur, scilicet, anatomicum grandiori spatio quadringentis auditoribus sufficiens, et clinicum minori amplitudine in nosocomio civili, idque instrumentis meteorologicis abunde instructum.

In iis autem, quæ etiamnunc desiderantur, enumerandis longior fortassis essem et accuratior, nisi ardorem meum temperaret justissima fiducia, in curatoribus summopere colendis juxtà atque in supremâ autoritate collocata; quam experientiâ cognovimus nunquam aut in donis suis distribuendis, aut in subsidiis partiendis nostri immemorem fuisse.

At enim principis munificentia iis quæ enumeravimus, ut ut splendidissimis, non continetur. — Neque enim sapientis est ignorare fortunæ dona non magis æquabiliter ac naturæ divisa esse, et humillimâ conditione sæpè præclara ado-

lescentum ingenia celari, ab eximiis in patriam meritis, si fortunæ injuriis generosa manus ereptos sustineat, olim nobilitanda. Hâc igitur mente princeps noster, facultatum angustiis impeditos juvenes sublevaturus, regiâ benignitate in certum numerum pensiones constituit, partim ex nostro judicio petentibus largiendas : de quibus hoc adfirmare verissimè licet, severè ac religiosè omnes ad generosi regis voluntatem esse dispensatas.

Jam ut ad vos, clarissimi viri et conjunctissimi collegæ, animo et oratione revertar : cum orationis hujusce is inter alios finis sit, ut litterarum universitati Leodiensi ob felices primi anni successus gratulemur, quæ convenientior erit perorandi ratio, quam si, quæ sub auspiciis doctissimi professoris à principis majestate ad rectoris honorem evecti, academiam nostram nova fata manent, ea vobiscum, clarissimi viri, lætus salutem. — Nec enim dubito, quin omnes uno ore hæc mecum pronuntietis : quod si diuturno eodemque honorato in publicâ institutione labore, rara in omnibus matheseos et physices disciplinis vastaque doctrina, morum spectata severitate et summo in communi nobis officio ardore. Quod si, vir doctissime, his omnibus eo, quem adscendisti, excelso honoris gradu et digni efficimur, et in iisdem mandati tibi gravissimi muneris cum laude obeundi fiduciam certam invenimus : quid impedit, vir amplissime, quominùs in te rectore summas et lætissimas spes academia reponat? Tu vero ipse felicior, firmiùs et audaciùs ingredientem, et omnibus, quæ lex pollicetur, auxiliis munitam videbis. Tu igitur gradientem dirigens et præsentem collegarum tuorum applausum faustissimi ominis, et te ipsum dignitate non inferiorem fuisse probabis; qua te, inter summâ æstimatione colendos candidatos electum, princeps donavit; quem, ut civibus suis carissimus rex atque pater amat dici, ita, ut felicissimum esse velit supremum numen, piâ omnes gratâque mente precamur.

DIXI.

